Matthæi Vossii

ANNALIVM HOLLANDIÆ ZELANDIÆQVE

Libri Quinque.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



AMSTERDAMI,
Apud Gvilielmvm Blaev.
CIϽ IϽC XXXV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Illuſtriſſimis Potentiſſimiſque

HOLLANDIÆ
ZELANDIÆQVE
PATRIBVS

Matthæus Voſſius felicitatem.

INter armorum ſtrepitus, Auguſti Patres, hoſce Annales veſtris quod inferam penatibus, non ſcriptoris facit arrogantia, ſed ipſius argumenti dignitas, quia majorum veſtrorum geſta factaque præluſtria continet. Tantoque hoc facio majori fiducia, quantum virtute proavos antecellitis. Miratur terrarum orbis ob regimen prudentiam, miratur tot victorias tam exigua manu partas, & non ſine maximo ſtupore obtutus vertit in fortitudinem, quam hactenus adverſum potentem adeo hoſtem probaſtis. Quis crediſſet provocatos Philippos, ſpreta Cæſaris arma,

Digitized by Google

niſi vidiſſemus? Et omnia tamen hæc minora, ſi præclaræ urbium circumvallationes æſtimentur. Non eſt animus ad ea penetrare, quæ aut à majoribus, aut ætate jam provectis facta fuere: ſed ſolum intueri illa quæ noviſſime contigerunt. Incertis nihil dabo rumoribus: ea adducam, quæ extra dubium vera certaque ſunt. Quis neget, veſtris auſpiciis, Illuſtriſſimi Arauſionenſium Principis ductu, virtute ſubditorum, expugnata oppida, urbes, quas invincibiles putaſſemus, niſi contrariis documentis attoniti omnium animi tenerentur? Teſtabuntur Grolla, Sylva-Ducis, Trajectum ad Moſam, aliæque civitates, quid præſens hæc ætas viderit. Si non omne ævum, minimum aliquot ſæculorum geſta viciſtis. Numerent aliqui partas aperto Marte, ſed multo ſanguine victorias: pares urbium expugnationes ſine ulla truculentia oſtendetis. Quo majus igitur prudentiæ ſignum eſt virtute inge-

Digitized by Google

ingenii quam incerta belli alea vincere, eò longius Principum alios ſuperaviſtis. Nec nova hæc virtus veſtra: deſcendit à majoribus in nepotes, quod eo inluſtrius, quanto rarius videre eſt, præſtantium ingeniorum liberos veſtigia parentum premere. Ea an aliorum ſit gloria, judicent alii: veſtram eſſe mihi pro comperto habetur. Quæ etenim à Patribus, valente Comitum auctoritate, geſta ſunt, & memorata, ut oportuerat, non fuere, in ipſis tamen tenebris ſplendorem ſuum retinuerunt, quia ob magnitudinem obfuſcari non poterant. Viderunt proavi expugnatas civitates, exigua manu immenſam hoſtium multitudinem ſuperatam: viderunt auctum per virtutem imperium, fugatos aut ſpretos Reges, & proſtratas Cæſarum aquilas. Magna hæc, at incognita, iis quia temporibus ingenia defuere, quæ verbis, quamquam geſtis inferioribus, utcumque tamen veritatem Orbi expri-

Digitized by Google

exprimerent. Hoc ſtimulos mihi addidit hujus oneris ſubeundi, non quia parem me crederem, cæterum ut proavorum gloriam augerem: à quorum virtute minime vos degeneraſſe, facile comprobaverim. Quid verbis opus? Acta demonſtrant. Servarunt illi incolumem inter tot infenſas nationes libertatem: ſervaſtis hactenus vos adverſum potentiſſimos Hiſpaniarum Reges, orbis pene dominos, niſi poſſe vinci documento fuiſſetis. Habent quod gratulentur ſibi Belgæ, habent vicini Principum, dum ex armorum veſtrorum ſucceſſu, aut felicitatem ſuis, aut cladem augurantur. Agite porro felices vere Auguſti Patres, incolumitatem noſtram defendite, vicinos metu liberate, quo tandem pace reſtituta Chriſtianus orbis revireſcere valeat. Amſtelodami XVI Kal. Sextil. anno CIƆ IƆC XXXV.

Digitized by Google

MATTHÆI VOSSII

ANNALIVM HOLLANDIÆ ZELANDIÆQVE

LIBER PRIMVS.

BATavorum imperium à principio Reges tenuere, non infinita aut libera poteſtate, verum nobilitatis & primorum vulgi judiciis coercita. Ne in filios quidem ſucceſſionis jus tranſmittebatur: ſed ut quiſque virtute cæteros præminebat, ſupremo donabatur faſtigio. At ſublato Regio nomine, penes optimates imperium fuit, quia longa ferme dominatio libertati periculoſa. Orto cum vicinis bello Duces lecti, conceſſa foris Regia poteſtate, donec hoſtes in armis forent: domi nulla auctoritate egerunt. Per hos diutiſſime Reſpublica adminiſtrata, devicti hoſtes, prolati fines, & terribile cunctis gentibus Romanum nomen Batavia pulſum, immenſum belli decus pepererunt. Socii Romanorum & fratres, fortitudine ſua ſuſtinuerunt laborantem mole ſua rem Romanam: adeoque ſi quid arduum, aut ſupra cæterorum vires videbatur, id omne Batavi exſecuti: ut ipſi faterentur Romani, præcipuum robur ſui in illa gente ſitum. Poſtquam in Germanos Romana arma ceſſere, & imperium undique lacerabatur, Batavorum quoque vires, odio Romanæ ſocietatis, Francorum Saxonumque continuis prœliis attritæ, adegerunt bellicoſam gentem,

quærere pacem cum Friſiis, natione tum valida, ſed eidem periculo obnoxia. Nec dubitatum in eorum nomen concedere, quia libertatem patrio ſermone exprimebat, pro qua bella gerebantur. Ab eo tempore communes principes habuere, & junctis viribus limites defenſi. Non alias virtus eorum magis in aperto fuit: quando pene ſoli illam ſævientium, multitudinem, cui Romanorum arma ſuccubuerant, ſuſtinuerunt. Nec defuere anni, quis armis ultra fines motis, quantumvis validos hoſtes profligarent, imperiique augerent terminos; multum indignantibus Francis, qui Galliæ Germaniæque domitores, in Batavis Friſiiſque parem multitudini ſuæ virtutem fremebant. Hinc continua bellorum materies, donec emollitis Chriſtiana religione, cujus ſemina primus hic Willebrordus jecerat, Friſiorum animis, ſepulto paulatim odio, fœdere jungerentur. Quando & datus Francorum principi Patrum decreto in Friſios ducatus: non tamen ut Francorum Regi, cum & alium eligere liceret. Neque paſſa inde ullum libertas detrimentum. Etenim & Patribus, & nobilitati, non modo honos relictus; ſed cuncta illorum arbitrio adminiſtrabantur. Creſcente cum imperio Francorum auctoritate, tantum libertati demtum videbatur, quantum illi in fœdere potiores forent. Cæterum ut nutare Francorum potentia, & attritæ civili bello vires, irrupere Nortmanni, gens Septentrione prognata, ut fidem ipſum nobis vocabulum facit. Ac primum quidem ad oras arma ſua oſtentaverunt. Poſtquam victis prœlio Francis metus omnis ceſſit, nihil quod obviam non vaſtatum; everſæ urbes, caſtella, pagi; abducti in ſervitutem homines, ſpoliati bonis, pecoribus, & agris. Qua neceſſitate compulſi Batavorum Patres, relicto quod in Francorum ſocietate poſuerant præſidio, ipſi ſua defendunda ſuſcepere: integra tamen ſocietate, cum illa nullum adferre poſſet impedimentum. Tum Gerolfus, Thietboldus, principum alii, comitum nomine celebres ſuis præfuerunt.
His

Digitized by Google

His, anno qui poſt octingentos nonus & quinquageſimus erat, à Nortmannis, quibuſcum certabant, interemtis, Theodericus Gerolfi, ut crediderim, filius ſucceſſit. Nec dubito quin Patrum decreto, ob continua cum Nortmannis bella, Ducatum in Friſios, omiſſo ſegni Lothario, ſæpe adeptus fuerit; tametſi temporum injuria cum geſtis, pene & nomen ejus interciderit. Nam quod quidam auctorum imperium in Hollandos à Calvo, Waſdam à Ludovico datam ei prodiderint, mirari libet, & imprimis illos qui propiores iſti ævo vixere, quum ſuam opinionem ipſis quis adſtruere nituntur argumentis evertant. Iam ab eo tempore quo fœdus ictum fuerat, communi quidem domino Franci Friſiique ſubjecti; ſed hi leniori ſub imperio egerant. Vt metu Nortmannorum ſua defendere coacti, nulla à Francis auxilii ſpe: nihil in fœdere niſi id ſolum mutatum fuit, quod Francorum principibus ſua inertia conſeneſcentibus, ex ſuo rurſum corpore Duces ederent. Nec adeo id ægre latum Francis, donec fœderis vis maneret. At poſtquam inde reſultum, & ſummo cum imperio principes lecti, Reges veteris pacti memores, quo ipſis ducatus in Friſios collatus erat, in ſe trahere cuncta conantes, legitimum non credidere in his ditionibus principem, quē non approbaſſent. Cæterum id nihil morati Patres, illis civili bello conluctantibus, ſuam cum illorum Republica peſſumdandam non putabant. Lata tamen laborantibus Francis ſæpe auxilia, eaque facilitate & bellum vitatum, & tabulæ impetratæ, quis juri ſuo Franci in Friſios cederent: quod primum nulla circuitione factum comperio, quando Carolus Simplex, nepotis hujus Theoderici temporibus, ſi veras credamus tabulas, omni in Hollandos, & abnepotis in Waſdam jure Lotharius reſignavit. Neque moverit me, Ludovico potius quam Lothario acceptas ferri, atque id ob Hemmæ Reginæ in tabula mentionem repertam, quo vocabulo conjugem Lothario fuiſſe conſtat.

IↃCCC LIX.

Digitized by Google

Super rationes enim, quas infra reddemus, non Rutgerus, non Odalricus (quorum nomina in tabulis donationum memorantur) tum dignitate illa functi, imo ne nati quidem fuere. Reperiuntur qui exiſtiment, Theodericum, Balbi Ludovici cubicularium, ob ingentia merita Aurelianenſi ducatu ab eodem auctum; quod ut in re incerta non affirmaverim, ita neque temere abnuere velim. Similius vero, hunc eſſe Theodericum illum, cujus conſilio præ cæteris in Belgica Ludovicum filium uti voluit Carolus Calvus, quando ſeptimo poſt ſeptuaginta & octingentos anno ipſe Italiam petivit. Etenim huic in tabulis Balduinus Flandriæ Comes ſubjicitur. Neque ullis Belgarum id nominis Comitē hac tempeſtate fuiſſe comperio. Fratrem Theodericus Walgerum habuit, dubium Lotharii, Calvi, an uxoris beneficio (quod mihi maximè fit veriſimile) Teiſterbandiæ Comitem: quod tunc nomen Batavorum inſulam, Moſa Vahalique amnibus cinctam, & vicina tractuum complectebatur. Alii illum Theoderico majorem natu arbitrantur, cæterum imperio ob delicta amotum: quæ qualia fuerint non prodidere. Nobis, cum nullum tradendi ſatis dignum auctorem inveniamus, vanum hoc & ad alterum Walgerum, hujus cognatum, referendum videtur. Filios habuit Radbodum, Hattonem, & Popponem opum paternarum hæredes. Quorum Radbodus inclytus bello, quod anno poſt octingentos quinto & nonageſimo, cum Rhollone Nortmanno geſſit. Vnde manifeſtus eorum error, qui Walgerum Teiſterbandiæ Comitem, exacto ſæculo nongenteſimo, imperaſſe aſſeverant. Neque enim à filio ad parentem devolutum imperium quiſquam putaverit. Igitur Theoderico & Walgero rerum potientibus, cum Franci Hollandos deſeruiſſent (quia non tam ſubditum in iis, quam reverentem ſui populum haberent)
IↃCCC LXV. Nortmanni ſæculi noni anno ſexageſimo quinto irrupere. Vacabat amoribus Waldradæ pellicis Rex Lotharius, quam repudiata

diata uxore Thietberga, tori conſortem ſumere cogitabat. Et quia ab Thietbergæ propinquis contra tendebatur, litem adverſum eos orſus, ac Reipublicæ ſecurus, ferociſſimis Septentrionis gentibus aditum patefecit. A quibus everſum Doreſtadum, quod Friſiis (eo tum nomine Hollandi, & vicinæ nationes appellabantur) tutum antea perfugium fuerat. Qui arma ferre per ætatem poterant occiſi, cætera multitudo in captivitatem abducta eſt. Doreſtadum, hodie Dordrechtum nuncupari nonnulli credidere, quorum errorem facile ſcriptores arguunt, & ſitus locorum mire refellit. Quippe hanc paucis millibus ſupra Trajectum inferius ſitam, conſtanter auctores firmant, & Rheno appoſitam. Vndecimus ab hac calamitate an- IϽ CCC
nus agebatur, cum rurſus Hollandis eadem gens incubuit, mo- LXXVI.
re ſuo rapiens cuncta trahenſque. Iamque Nordovico haud procul aberant, cum Rembertus Bremenſium antiſtes, qui eo loco tunc morabatur, ſuo ſimul, & habitantium periculo territus, ad prælium eos hortatur, ne incruentam barbaris victoriam relinquant. *Feminas pecudum inſtar mactari, viros armis vim propellere. Stare & pro meliori cauſſa Numen. Barbaros ſuo ſimul & Chriſtianorum ſanguine madidos, conſcientia ſcelerum, & itinerum moleſtiis fatigatos, non prælio, non armorum oneri pares.* Incendit pii viri oratio jam pene exangues metu, & qui latibula meditabantur, certamen fidentes poſcunt. Properatur ad caſtra hoſtium ſumma victoriæ ſpe, nec defuit Deus. Fuſi Nortmanni cæſaque eorum millia decem, trecenti & ſeptuaginta ſeptem. Simul caſtris exuti, & præda, quæ longa populatione congeſta, victoribus ceſſit. Movit quoſdam antiſtitis Bremenſis mentio, ut ad Nordam Friſiæ orientalis urbem, commiſſum hoc prœlium ſtatuerent, quia is locus Bremēſibus propior. Sed Annalium Fuldenſium auctor, rei geſtæ gloriam Friſiis occidentalibus tribuit. At non Hollandorum victoriam ſperata quies ſecuta eſt. Irati clade barbari, & cæſum exercitum,

Digitized by Google

IↃ CCC ereptam prædam indignantes, quinque poſt annis Friſiam
LXXXI. invadunt, & poſtquam omnia vaſtaverant, Noviomagi, regia urbe in ſuperiore Batavia, ſedem ponunt, premendis impune Hollandis, & ne urgente neceſſitate receptus deeſſet. Sociorum periculum excivit domo Ludovicum Regem, qui ingentibus copiis in Bataviam venit. Nec Nortmanni detrectavere certamen. Sed fuſi in oppidum perfugiunt: unde confeſtim legatos ad Regem miſere pacem orantes: quæ promiſſa, ſi imperii finibus excederent. Igitur oppido digrediuntur, & incenſo prius palatio, omni qua navigabant ora pervaſtata, altum petiere, aliis locis fortunam tentaturi. Iiſdem fere temporibus exceſſiſſe Theodericum & Walgerum creditur, quorum de morte certi nihil Annales prodidere. Theoderico Gerolfum, Walgero Radbodum (cui ob virtutem collatus à Patribus in Friſios Ducatus) filios ſucceſſiſſe comperio, non imperii minus paterni, quam hoſtium hæredes. Etenim Nortmanni ſecuto poſt an-
IↃ CCC no (erat autem ſæculi noni octogeſimus ſecundus) Gode-
LXXXII. frido & Sigefrido Ducibus, Flandriam, Arteſiam, & Brabantiam populati, ulteriora Germaniæ petiverunt. Aquiſgranum, Coloniam Agrippinam, Trevirorum urbem incendunt. Mox victo & occiſo Walone Mediomatricum epiſcopo, præda graves, in caſtra, quæ ad Moſam poſuerant, ſe recipiunt. Mortuo Ludovico imperium Carolus Craſſus habebat, qui crebris ſuorum legationibus fatigatus, Germanorum Friſiorumque conflata manu, tandem caſtra movet, & Nortmannorum hiberna munitionibus circumvenit. Potuiſſetque inedia conficere infeſtos prædones, pronis huc omnium ducum animis, ob odium gentis, & prædæ cupidinem, ni à ſævitia alienus, pacem vitamq; concedendam petẽtibus judicaſſet: quo religionem Chriſtianam ſuſcipere hoſtes adigeret. Igitur fœdus ictum eſt. Et Craſſus quanquam victor, Giſlam Lotha-

rio

Digitized by Google

rio genitam, Godefrido conjugem conceſſit, ſi Chriſtianam religionem ſuſciperet. Adjecit quoque Friſiæ partem cis Flevum, (ſola veteri Batavia Radbodo relicta) & ulteriora in orientem ſita. At Sigefrido ingens auri vis data, ut Craſſi finibus excederet. Has conditiones ſimulatque barbari ſuſcepere, progreſſus Godefridus in religionem Chriſtianam tranſit, & Giſlam conjugem, promiſſamque ditionem accipit. Gerolfus aliique Friſiorum Comites ei parere coacti. Ita gens libera, ſuis ſæpe armis imperium tutata, ſociorum ſcelere ſervitutem induit, cum multis prœliis fracta Francis & Nortmannis impar eſſet. Mox tamen recepta libertas. Anno qui poſt octingen- IↃ CCC
tos quartus & octogeſimus erat, non obnitente Godefrido, alia LXXXIV.
Nortmannorum manus in Hollandiam venit, queis in Kenemaria & Denemarka (cujus nunc memoriam Denemarka, pars agri Trajectini juxta Goilandiam, & Marka inſula produnt) ſedes aſſignatæ. Cæterum quieſcere illos nec prædæ ſpes, nec odium Chriſtianorum ſinebat. Igitur in Germaniam profecti, Duisburgum occupant. Mittitur adverſum eos Henricus dux, militia clarus, & Nortmannorum ea tempeſtate terror, quicum non auſi prœlium barbari, inſequentis anni initio Hol- IↃ CCC
landiã repetiere, quod Godefrido permittente paratum nunc LXXXV.
iis perfugium erat. Fuit Godefrido affinis Hugo, (quippe frater Giſlæ) vir ut manu conſilioque promtus, ita imperii aviđiſſimus. Parentem habuerat Lotharium, matrem Waldradam pellicem; quam tamen, pulsâ Thietbergâ, ſæpius penatibus ſuis inducere Regem conatum, convenit. Hinc ferocior juvenis, ſucceſſionis jure imperium ſibi debitum clam primo jactabat, donec vires & pecuniæ ad conducendum militem deerant. Vt affinitate Godefrido innexus eſt, participem arcani facit, & hortatur ut ſuis conſiliis faveat. Facile rem totam ab eo patratum iri, quando Nortmannorum nuper nova manu auctus foret. Godefridus non ignarus arduam rem eſſe,

Impe-

Digitized by Google

Imperatorem totius Germaniæ Galliæque opibus ſubnixum, parte imperii mulctare, maxime vero quia nothorum nulla in ſucceſſione ratio haberetur, laceſſendum nequaquam putabat. Indecorum etenim videbatur, fœdus juramento nuper ſancitum, ſolius affinis gratia, nec ulla præterea de cauſa, rumpere. At Hugo: *Quandoquidem*, inquit, *affinis tibi cauſa infra pretium armorum eſt, deſino ad mea recuperanda te hortari. Vnum id rogo, ne ſub hoſte tuam ditionem conquieſcere ſinas. Lotharingiæ regionis, profectò amplæ, & urbibus, viriſque frequentiſſimæ, partem tibi alteram dono, modo bellum Cæſari moveas. Muta paludum uligines, & inamœnam terram, fertiliſſima ditione: quam utinam oculis tuis ſubjicere liceret, haud dubiè, irritaret animum felicitas ſoli. Ingentia victorem præmia manent, nec ſpes exigua eſt. Iube modo convenire militem: convolent ad ſigna fortiſſimi tui Nortmanni, debellatores populorum quos unquam adierunt. Tantum incepto opus, cætera ſine labore provenient. Premit Gallos ſocius Sigefridus, & ſegnis hoſtibus imperator. Solo Nortmannorum inceſſu fugabuntur, nec acie niſi ad oſtentationem opus erit.* Illico Godefridus majoris imperii ſpem rapuit. Et jam totus ad arma animum verterat. Sed quia nothi donationem belli cauſam injuſtam, & libidinem dominandi interpretaturos alios prævidebat, hujuſmodi obtentum quæſivit. Eſt Friſia paludoſa & humens regio, eoque ut ferme Septentrioni propiora, non vinetis, non aliis id genus, quæ calidioribus locis gignuntur, fœcunda. Igitur mittit ad Craſſum legatos Gerolphum & Gardolphum, comites Friſios, qui incuſata ſoli ſterilitate, expoſcerent ditionem feliciorem, & ne conceſſis poſtulatis deſtinata everterentur, ſtipendia quoque militi ex publico ærario peti jubet. Senſit fraudem Cæſar, & legatos pro tempore comiter affatus, miſſurum ad Batavos dixit, qui Godefrido ſatisfacerent. Id enim fidem ejus adverſum ſe mereri. At poſtquam abierunt legati, Henricum ducem ad ſe vocat, ſubmotiſque cæteris, *Godefridus Nortmannus*, inquit, *amicitiæ obtentu, terras meas affectat. Impulſor Hugo Lotharii filius, & affinis*

Digitized by Google

affinis eius, qui ſorte ſua parum contentus paternum ſperare audet imperium. Faciunt id merita tua & plurimis experimentis approbata virtus, ut non alio quam te miniſtro ad evertendum illum uti decreverim. Et quia periculum in mora eſt, propere in Bataviam contende, ibique ſub ſpecie colloquii Godefridum obtrunca. Vbi ille ceciderit, minor contra Hugonem labos erit, quem erutis ante oculis, monaſterio intrudes. Sed cave fruſtra inſidieris: etenim inſidiis petitus, juſtiora arma gerere videbitur, & vindictæ acrius incumbet. Eoque nec miles tibi aſſumendus: neque enim imperium ejus amnibus & lacubus ſeptum aut diviſum magna cum manu tuto adieris. Tanto cautius agendum, dum prudentia quam vi magis hæc innituntur. Sed ceſſo pluribus monere, ne tuæ videar diffidere induſtriæ. Henricus his intellectis, ſocios facinoris magna cura deligit, Willibertum Colonienſium antiſtitem, & Eberardum Comitem, ante à Nortmannis læſum, & ademta imperii parte, Godefrido acerbiorem. Milites, qui adverſus hoſtium vim comitarentur, quo facilius falleret, diverſis itineribus petere Bataviam jubet. Eo ut ventum, occurrit Godefridus, & tanto exquiſitioribus blanditiis alter alterum excepere, quanto magis fraudem occultabant. Poſterus dies colloquio dicitur. Interim Henricus noctu ſociis conſilium aperit, & promptis ad exſequendum, Giſla è Batavia à Williberto evocatur, ne facinori intereſſet. Solus Eberardus cum Godefrido congreſſus, orditur de injuriis illatis, ereptaque parte imperii. Adjicit conſulto probra, quo acrius irritaret. Godefridus æſtuans ira ipſum impetere contumeliis, & minari. Simul Eberardus, velut læſo honore, ſtringit enſem, & graviter vulneratum hoſtem proſternit. Accurrunt ſubito Nortmanni, opem domino laturi, cum coortus ex inſidiis miles, ſpirantem adhuc confodit. Et mox verſo in ipſos Nortmannos impetu cædunt, totaque eos Batavia exigunt. Poſtea & Hugo interceptus, viſu orbatur. Hic Godefridum exitus habuit, principem bonum, ſi temperaſſet libidini aliena appetendi. Finis ejus initium libertatis

Digitized by Google

bertatis Friſiis fuit, & Radbodo rediit poteſtas quam ante obtinuerat. Gallos, ea tempeſtate, gravi bello premebat Sigefridus. Qui ubi fama accepit, peremtum Craſſi ſcelere Godefridum; gravem ſocii caſum, & ut rebatur immeritum, miſeratus, ſtatuit ultum ire defuncti manes, & amicitiæ jure in-
ꟾↄ ccc vadere imperium. Ita anno qui ſæculi noni ſeptimus & octo-
LXXXVII geſimus numerabatur, totam populationibus Lotharingiam emenſus, Friſios irrumpit, quod tunc Hollandis vocabulum erat. Ii ut vicinum hoſtem ſenſere, cruda adhuc nuperæ ſervitutis memoria, ad arma convolant, & magna fiducia certamen ultro depoſcunt. Nec duces impetum multitudinis retinuere. Inito prœlio, non ſuſtinuit vim Sigefridus, victoriaque ſimul & vita ceſſit. Habeo auctores, qui non certatum cum Nortmanno, nedum in acie illum, ſed dolo cæſum tradidere; fide, ut mihi quidem videtur, parum bona, cum haud vero ſimile ſit, infeſto agmine Friſiorum terras ingreſſum, non prœlio, non ulla memorabili re geſta, interceptum eſſe. Sed in tanta illorum temporum caligine, vix certo verum à falſo diſcreveris, quando & ipſum Friſiorum Ducem, tam illuſtris victoriæ auctorem nominaſſe pretium non fuit. Ego contendere auſim, Radbodi imprimis & Gerolfi virtutem eminuiſſe, quum ab eo primum tempore Annalium conditores, inclytos fama, & liberatam ſimul Nortmannorum jugo Hollandiam, celebravere, tametſi ejus rei decus ad Theodericum Gerolfi filium, eundemque Radbodi cognatum, pene omnes referant. Hac fracti clade Nortmanni ab irruptionibus aliquamdiu temperavere: dum non levis adverſum Gallos moles incumberet. Eo temporis tractu Carolus Craſſus, imperii haud ſatis capax, tutorem à ſubditis Arnulphum accepit, novo prorſus exemplo, patruus cognatum. Quem Galli aſpernati, Odonem ſibi Regem deligunt. In Italia Berengarius

Digitized by Google

garius, aliis locis alii ſummam rerum invaſere. Nec quamvis junctis reliquis impar Arnulphus; Odonem Galliarum viribus ſubnixum, ſubigere magis in arduo erat. Ille tamen pacem & veniam petiit, quæ hac lege data, ut regnum dirigeret, donec adoleviſſet Carolus, Craſſo, qui jam tum fatis conceſſerat, genitus. Poſtquam quietæ Arnul- IↃ CCC
pho res fuere, anno hujus ſæculi undenonageſimo, Gerol- LXXXIX.
pho, Friſiorum Comiti, ob præſtitam, (ut veriſimile) in bello Nortmannico operam, an quod cæteris undique imperium convellentibus, ſolus ille innocentius egerat, conceſſit, ut terras Suithardeshagam & Rhenum inter ſitas, jure deinceps liberrimo teneret: cum ante obnoxias ſibi Franci dictitarent; Hollandi, vitandis illorum armis ferrent, & ut illo etiam documento conſtaret, nihil deinceps juris in eas ſibi vindicare Francos poſſe. Atque hoc demum tempore inſtitutam Hollandorum libertatem falſo creditur, cum nec ante Imperatoribus aut Regum ulli obnoxii egiſſent, ſola reverentia exempta, quam in fœdere inferiores ſine damno libertatis exhibent. Anno poſt octingentos primo & nonageſimo, Nortmanni, qui diſcretis exercitibus Galliam Lo- IↃ CCC
tharingiamque vaſtaverant, obvias Arnulphi copias habue- XCI.
re. Quas ubi adorti diſiecerunt, cuncta longe lateque populationibus ac rapinis infeſtant. Arnulphus ut nihil proſperum à ducibus geri vidit, magnum ad fortunam momentum præſentem principem ratus, ipſe prœlio cum hoſtibus ad Tiliam amnem decernit. Nec ſpem fefellit eventus, cæſi hoſtes & occidione fere omnes deleti, ut vix pauci nunciandæ cladi ſupereſſent. Nihilominus indomita gens, inſequente quoque anno, Lotharingiam repetivit. Quo ſimulatque Arnulphum adventare fama tulerat, trepidi ad naves refugere. Ea damna poſtquam nova ad Auxonam victoria Odo Rex cumulavit, fracti continuis cladibus, nihil ex eo palam audebant:

Digitized by Google

debant: furtim ſubinde munimentis digreſſi prædas egere. Hollandos ab exceſſu Sigefridi non tentaverant, dum adhuc animo hæret, quam improſpere illata bellicoſæ genti arma ceſ-
IƆ CCC XCV. ſiſſent. Sed anno ejuſdem ſæculi quinto ſupra nonageſimum Rhollo Nortmannus, icto cum Anglis fœdere, Galliam cogitans, adverſa tempeſtate in Walachriam dejicitur. Inſulani terra prohibere barbarum conati, primo ſtatim prælio vincuntur; quibus ad ſedes quoque ſuas dilapſis, impune tota inſula Nortmanni pervagati ſunt. Multi habitantium interfecti, multi ad ſervitutem adacti. Quæ quia liberis ipſa morte gravior, ingens turba ad Radbodum perfugit, Ducem Friſiorum, & Teiſterbandiæ Comitem: alii in Hannoniam ad Raginerium gentis ejus ducem abiere, clarum ea tempeſtate virum, ob res ſtrenue geſtas. Quibus tanti ſupplicum preces & queſtus fuere, ut Rhollonem ambo aggredi decernerent. Suberat quoque metus. Quippe Nortmannos, raptu vivere ſolitos, non Walachriæ fines intra cohibituros libidinem dominandi credebant. Igitur collectis ad ſe Walachrorum fugitivis, adunatoque exercitu, Rhollonem petunt: ſed fortuna adeo adverſa, ut victi ægre effugerent. Secundæ res Rholloni incitamentum fuere irarum, qui indignatus laceſſitum ſe ab his, quos nunquam læſiſſet, in Radbodum movet, relicto in Walachris præſidio, quod gravius inſulam affligeret. Primoque in Hollandiam adventu vaſtatis agris, ædificia, villas, pagos incendit, & nullo obviam hoſte, paſſim terrorem & arma circumfert. Reſumpſit confeſtim animos Radbodus, & quamquam durabat memoria acceptæ cladis, Hollandorum quicquid per ætatem armis aptum erat, in unum cogit. Eum ut armata manu caſtris propinquare Rholloni nuntiatum eſt, vocatis ad concionem militibus, ita incipit: *Si ignavo cum hoſte, milites, res futura nobis eſſet, ſupervacuo ad conſtantiam accenderem pugnæ deſiderio flagrantes: quorum ſola ora talibus debellandis ſufficerent.*

Nunc

Digitized by Google

*Nunc hoſtem habemus, quem ſi vel ego maxime abnuerim, ſtrenuum teſtentur, quæ egregia adverſum majores noſtros quondam geſſit. Neque enim quod aliis ſuetum imperatoribus, diſſimulare adverſariorum virtutem libet, quam ſolus deprimere debet, qui ſuorum manibus diffidit. Veſtram ego milites virtutem abunde approbatam habeo ſuperioribus prœliis, quando eundem hunc hoſtem, inſigni Hercule clade contudiſtis. Et cum nemini fuga animum aut vires augeat, ſtulte prorſus paveamus. victoria incl*y*ti, qui nondũ expertis hoſtium viribus, ſatis animi ad pugnam, ſat roboris ad victoriam habuimus. Sed nequaquam vos convocavi quia de exitu dubitarem. Me una tantum hæc cura ſollicitat, quomodo parcere huic virtuti veſtræ, & pro tot toleratis laboribus, victoriam ſine ſanguine, ſine periculo veſtro dare poſsim. Hactenus, commilitones, pro gloria certatum eſt, nunc nonniſi præmia accipienda ſunt. Quæ vobis jam non ſudor, aut Mars anceps, ſed conſilium meum dabit.* Hæc ſimul, educit ſuos, & adventantem Radbodum conſpicatus, procumbere in genua, & obtecto undique teſtudinis in modum corpore, excipere hoſtium impetum jubet, donec incaſſum tela effudiſſent. Radbodus ut propius ſucceſſit, inſolitam exercitus ſpeciem miratus militem reſiſtere juſſum rogitabat, *viderentne populationibus nuper, & abſente ſe ad vanam fiduciam elatum, nunc cunctabundum non aciem audere, ſed timore, ſuoque acceſſu occupatum, frontem, ac latera, undique præmunire? Suorum eſſe militum virtutem quam formidarent, ſuorum ora quorum ſolo adſpectu terrerentur. Argumento hæc eſſe, quam parum freti parta nuper victoria, aut illa exigui momenti ſit. Nunc excitas imperii vires, adeſſe auxilia ſociorum, & ſpei quidquid ſupereſſet, collectum. Quare irent, proſternerent porro ſua jam ignavia ruentem exercitum.* His accenſi hortamentis protinus in hoſtem vadunt. Primoque jaculis, ac fundis eminus laceſſebant. Ea ut in vanum cecidere, ſtringunt ferrum, & cominus certaturis, inſurgunt ſubito Nortmanni, ac itinere, curſuque fatigatos aggreſſi magnam ſtragem edunt. Hollandi quamquam inopino malo circumventi, memoriam tamen priſtinæ virtutis retinebant, & multi, licet vires deſererent, animis

Digitized by Google

mis haudquaquam fracti, quem ceperant locum cadaveribus ſuis texere. Cæteri acerrima pugna, & vulneribus feſſi, nec jam ſufficientes armorum oneri, terga dant, ſpe ſalutis, quam inſtans laſſis Rhollo præcepit: & pleroſque in fuga adeptus concidit. Exin attritæ vires, & Nortmannus rapere, vaſtare cuncta non prius abſtitit, quam Hollandi, collato viritim tributo, agros violentis victoris manibus eriperent. Superato Radbodo, Nortmannus, quem non imperii, ſed gloriæ & vindictæ cupido ad arma egerat, eadem ultionis libidine ſtimulante, nulloque in Hollandis milite relicto, in Hannonios & Raginerium infeſtum exercitum rapit. Quem levibus aliquot prœliis victum, tandem quoque captum, uxoris precibus condonavit, & inita pace, in Galliam exercitum amolitus eſt. Atque hoc poſtremum Hollandis adverſum Nortmannos bellum
IↃCCC fuit. Anno ejuſdem ſæculi octavo & nonageſimo, Walgerus,
XCVIII Gerolpho genitus, Eberardum, filium Meginardi, quicum ſimultates exercebat, ſtructis inſidiis, ut ad venandum egreſſus erat, interficit. A quo tempore nullam in Annalibus Gerolphi mentionem reperimus. Vnde credere cogor, pacatam illi ad obitum uſque partis Hollandiæ poſſeſſionem fuiſſe. Ne mortis quidem tempus narratur. Id conſtat, defuncto Walgerum filium ſucceſſiſſe. Quem omnes Annalium ſcriptores, cum patruo magno cognomine confundentes, Teiſterbandiæ Comitem faciunt. Originem errori præbuit commune utriuſque nomen, & idem fratribus vocabulum. Per idem tempus exceſſiſſe Radbodus Dux Friſiorum creditur, relicto ſucceſſore in comitatu Teiſterbandico fratre Hattone. At Patres extincto Duce, concilium habent, evocata nobilitate & vulgi primoribus, quo communi voto novus Princeps legeretur. Cunctorum ora in Gerolfi liberos Walgerum & Theodericum Egmundanos converſa erant. Sed minor majori præpoſitus, maculato ſcelere Walgero, & imperio ob id indigno. Cæterum hoc

Digitized by Google

hoc quale fuerit in Annalium ſilentio non dixerim, niſi obtruncatus indigno facinore Eberardus inviſum reddiderit. Eo traditum THEODERICO imperium, qui cunctos à Schaldi Lavica tenus Friſios, abrogato à Patribus Ducis vocabulo, Comitis nomine ſub imperium recepit. Cæteri Principum ad minorem honoris titulum adacti. Eo in conventu & lege ſancitum crediderim, non niſi gravi de cauſſa ab hujus ſtirpe recedundum, vitandis Principum certaminibus. Nec ulla lex commodior populo libertati, non licentiæ, aſſueto. Quippe vitata à dominantibus pericula, dum non niſi virtute, eum ſtirpi ſuæ manſurum honorem viderent. Ob id limitata poteſtas. Quamvis enim de conditionibus, quis traditum Theoderico imperium, nihil certi affirmaverim, hoc tamen pro comperto, falli qui ſolutos legibus, primos hic nobis Comites finxere, ut in progreſſu hujus libri, & clarius in opere noſtro pro libertate conſcripto, oſtendetur. Igitur Theodericus Comes proclamatus: quem plerique ſcriptorum cum avo cognomine confundentes, cuncta quæ ab illo & patruo Radbodo geſta huic uni adſcribunt. Cauſſa erroris, quod idem ipſis, fratribuſque illorum nomen foret: tum repertum in tabulis Caroli vocabulum, quod ad Simplicem referendum, de Calvo interpretati ſunt; quo antiquiora Hollandiæ Comitatus exordia facerent, ignari jam ante illos, etſi minori imperio, Hollandis principes imperaviſſe. Qua tempeſtate Gallorum rex Carolus, in Haganonis ex infima nobilitate amorem effuſus, nobilium indignationem primo, & contemtum, dein & bellum provocavit. Quod anno ſupra nongentos tertio & viceſimo acriter adeo exarſit, ut profugus regno Carolus ad Lotharingos refugerit, nondum reverentiam Principis oblitos. Ibi Haganone exſtimulante exercitum cogit, vocatiſque auxilio vicinis principibus, perfidiam nobilium ultum ire ſtatuit: ferente opem quoque Theoderico. Neque inhonoratam eam Regi fuiſſe, vel inde

DCCCCXXIII.

inde liquet, quod cum Henrico Germanorum Rege, pacem initurus, quam Bonnenſem nuncupant, eum inter primos adhibuerit. Quin & auctore Haghanone mercedem lati auxilii obtinuit. In Friſios à Suithardeshagha Fortrapam, inde Kinhemum uſque, jus ſummum, ob Ducatum quondam majoribus ipſorum collatum, ſibi arrogabant Francorum Reges. Cui nunc Carolus renunciavit, diſertim in tabulis ſcripto, ut ditionem eam, ſeu patriam hæreditatem, quomodo cætera ſua (unde & falſi evincuntur, qui Aquitanum Comitem fuiſſe contendunt) Theodericus deinceps teneret. Hæc Bladellæ acta, vico Campiniæ, noviſſimo Simplicis Caroli anno. Scribunt, quis nuper curæ fuit Hollandici comitatus originem eruere, anno hujus ſæculi decimotertio hæc Regem donaſſe: manifeſto lapſu, quando demum anno poſt nongentos decimo & ſexto Lotharingi in poteſtatem Caroli venere. Quomodo igitur donaſſet, quæ non poſſidebat? Ne quidem cedere jure ſuo potuerit, cum ſoli Lotharingiæ duces jus in Friſios prætenderent. Sed ſignatæ in Campinia tabulæ pro documento ſunt, non niſi in exilio à Simplice conceſſas. Ita ſoluti Comites metu graviſſimi belli, quod aliquando à Francis metuebant, ob ducatum in Friſios ademtum. Nova mox imperio incrementa, extincto Teiſterbandiæ Comite Hattone: quandoquidem, quæ hæreditario jure tenuerat, Theoderico; cætera Henrico Aucupi ceſſiſſe, prorſus exiſtimaverim. Poſtquam auctæ Theoderico res, & longa pace cuncta florebant, honore S. Adalberti Ædem, ante à Nortmannis everſam, è lignis erexit, addito cœnobio virginum S. Benedicti. Suaſerat hoc Wolfica, devotæ Deo virginitatis, ut traditum reliquit, qui Adalberti vitæ auctor, imperante Hollandis Theoderico ejus nominis ſecundo floruit. Memoratum eidem, Hallam prius nuncupatam, quæ ejectis gentilium ſuperſtitionibus Hæcmundæ vocabulũ accepit, quod jam à profano cultu hæc munda foret, dum

Bata-

Digitized by Google

vorum reliqui falſis etiamnum diis adhærebant. Quamobrem licet haudquaquam abſurde nonnulli ab anguſto Rheni oſtio deductum loci nomen volunt, auſim tamen ob antiquitatem ſcriptoris aſſeverare, non rejiciendam temere opinionem, quæ vulgo in Annalibus legitur. Per idem tempus Hungari in Germanicum imperium effuſi, dum cuncta populationibus ſuis deſolant, adegere Henricum Aucupem, ut expeditionem indiceret. Properare fecit Mersburgum, Saxoniæ ad Salam amnem oppidum, quod jam milite ſuo barbari circumvenerant. Igitur, anno hujus ſæculi trigeſimoquinto, immenſa undique auxilia Germanorum, Gallorumque convenere. Aderat & cum ſuis Theodericus, dum cunctos Chriſtianos idem pavor involvit, ne hoſtes prœlio victores, in Gallias quoque & Hiſpanias penetrarent. Sed votis numini ſuſceptis, & conſerto prœlio, victi barbari Germania exceſſere. Cæſar, quia militem in ſua remittere, hoſtium metus vetabat, decurſum equeſtrem inſtituit, hactenus inſolitum Germanis. Cujus tertio die duodecim imperii Comites, & hos inter primus Theodericus decucurrit; quod tanto honorum illi, quanto minus imperium Hollandorum erat. Exactoque inde quinquennio equeſtribus iterum ludis, Rotenburgi à Conrado Orientalis Franciæ Duce, celebratis, magna cum laude certaviſſe Theodericum ferunt. Duxerat Comes Genam conjugem, incertum quo parente ortam: nam quod Pipinum, Italiæ Regem nonnulli nominant, mirari ſatis nequeo, cum toto ante ſæculo illum exſtinctum conſtet. Id certi ex veterum memoriis accepimus, filium Theoderico cognominem, & ei Hildegardim, Wichmanni Aloſtani Comitis ſobolem, in matrimonio fuiſſe. Neque enim Blandinienſis cœnobii archivis fides habenda, quæ Hildegardim Hollandiæ Comite, Theodericum Wichmanno genitum aſſerunt. Verius illorum temporum ſcriptor, qui Adalberti vitam compoſuit, Theodericum cognominis Hollandiæ Comitis filium tradidit: ut no-

(margin: ID CCCC XXXV. — beside "anno hujus ſæculi trigeſimoquinto"; ID CCCC XL. — beside "tanto honorum illi ... rat. Exactoque")

Digitized by Google

ut nobis quoque in loco demonſtrabitur. De Wichmanno, cujus mentio incidit, pauca addere haud pigeat. Humili loco in Saxonia natum, minorem fratrem Hermannum habuiſſe ferunt, Othonis imperatoris beneficio Luneburgi Ducem: idque adeo indigne ei latum, ut arma Cæſari intulerit. Sed facit temporum ratio, ut alium Wichmannum hunc credam, quando is cui frater Hermannus erat, ad ânnum poſt nongentos quinquageſimum ſeptimum in rebellione perſeveravit. Contra hunc
DCCCC XLVIII. anno ejuſdem ſæculi duodequinquageſimo caſtelli Gandavenſis, Aloſtanæ ditionis, Waſiæque & vicinorum tractuum Comitem ab Othone creatum convenit, quæ rebelli præmia data, nullus dictitaverit. Vnde ſubit ſuſpicari, in duobus ejuſdem nominis Wichmannis erratum à Blandinienſibus: præſertim cum ipſorum Saxonum hiſtoriæ ea de re ſileant. Habuit Gandavenſis ille conjuges duas: ſed ſecundi matrimonii, quod cum Lutchari, Arnulphi Flandriæ Comitis filia contractum, nulla ſoboles; è priore conjuge nati Wichmannus & Hildegardis, quæ Theoderico juncta, & trium liberorum mater fuit. Liberûm primo Arnulphi nomen, inſolitum Hollandis, à Flandriæ Comite impoſitum; & illum infanti, cum ſacro fonte ablueretur, adſtitiſſe teſtem exiſtimaverim. Secundus Egbertus, poſt hunc Arlinda nata, quam Aleidam nonnulli, alii Egghindam nuncupant. Iiſdem fere temporibus feſſus ętate & imperii mole Theodericus, in filium, nullo Patrum repugnante, regiminis curam tranſtulit; ipſe peregre profectus incertum poſteris reliquit, quibus locis, quo fato finiverit. Quadraginta principatus annos ſi Annalium plerique auctores ei vere adſcripſerunt; ex eo tempore quo jūri, quod ſibi arrogabat ipſe Carolus, renun-
IↃ CCCC LXIII. ciavit, tertio & ſexageſimo poſt nongentos anno imperium filius ſit ingreſſus. Prodidere ejus temporis ſcriptores, Theodericum illum, dum lacum gelu conſtrictum tranſit, rupta ſubito glacie, non fuiſſe exiguum vitæ diſcrimen ſubiturum, ni vehi-
culum

Digitized by Google

culum, ita ut glacies ceſſerat, vadoſæ paludis tumulus excepiſſet ac ſuſtentaſſet: mox à nobilitate, ob inopinum caſum in diverſa primum dilapſa, periculo exemptum. Quod Annalium ſcriptores, divinæ adſcribere providentiæ, non contenti ad Adalbertum retulerunt, cui ſuſcepta à Comite vota dictitant. Obtinuitque res miraculi famam & opinionē, eo facilius, quod tumulum in palude nullus adhuc notaverat. Poſtquam abiit Comes, & publici cura in THEODERICVM, ejus nominis ſecundum ceſſerat, confeſtim orti motus, dum Friſii novum principem aſpernantur. Moverat quod ante à diverſis regnati, nunc plurium poteſtate in unum tranſlata, quantum ei acceſſiſſet, tantum opprimi libertatem rebantur. Simul nobilium complures, qui Theoderici parentem, quondam æqualem aliis viderant, ejus potentiæ invidi, ſuos ad exuendum obſequium exſtimulabant. Igitur collecta, quantam ſubito liceret, manu, Egmondam petunt, & cœnobium Theoderico è ligno exſtructum, incendunt. Raptæ in ſervitutem virgines, direptum quicquid religio majorum Numini ſacraverat, & in humana divinaque ſine diſcrimine ſævitum. Excivit ea injuria Comitem, & priuſquam ulterius furor pervaderet, armat ſuos, & obviam progreditur. Concurſum eſt magna vi, & quanto acrius prœlium, funeſtius Friſiis fuit, quorum prope omnis juventus occidioni data. Idem impetus in Friſiam Comitem egit, moxque rebelles coerciti. Tradunt auctores ira Comitis id pœnæ victis impoſitum, ut orienti Soli ædium ſuarum fores obverterent, eo humilitatis depreſſas, uti non niſi inclinatos tramitterent, in perpetuam quotidiani jugi memoriam, & ludibrium. Quod verene firmaverint, ut non abnuerim, ita nec aſſerere animus eſt. Ambigere tamen me fateor, quod ſimilia de Gotrico Nortmannorum duce prodita, & antiquiſſimos Annales ſilere hac de re, comperi. Facilius Friſiorum hiſtorico adverſer, qui certatum hac tempeſtate cum gente ſua abnuit.

 Etenim

Digitized by Google

Etenim præterquam quod conſtanter id ſcriptorum reliqui memorant, etiam auctor vitæ S. Adalberti, cœnobium Egmondæ è lapide à Theoderico exſtructum, & Friſiorum metu deductas inde virgines refert. Nec fides neganda præſente ſe erectum cœnobium dictitanti. Pacatis Friſiis, tranquillæ Comiti res, nec bella deinceps fuere, quæ poſterorum notitiam
IↃCCCC attigerint. Idem anno poſt nongentos duodeſeptuageſimo,
LXVIII. precibus Hemmæ Reginæ, liberalitate Lotharii Francorum
Regis Walchram (Walachriam nunc vocant) & ſupremum in eandem jus adeptus eſt. Quod actum tertiodecimo ex quo Lotharius anno imperitaverat. Tabulis donationis Gezo cancellarius, nomine Odalrici Rhemenſium Antiſtitis ſubſcripſerat. Illud vero abſurdum, quod Waſdæ mentione in tabulis reperta, Waſianum agrum deſignari nonnulli putavere. Nam quamvis congruentibus quodammodo vocabulis, vero ſimile haud videtur contuliſſe Theoderico, quod jam pridem ſocer Wichmannus obtinuerat; de quo ambiguum, vitamne ad hæc uſque tempora produxerit. Accedit, quod Waſiam Germanici fuiſſe juris conſtat. Walachriam cum Flandris ſimul paruiſſe Gallis non ambigo. Vnde Waſdam eandem quæ nunc Walachria, aut certe ut in tabulis pro Lothario Ludovici nomen, ſic pro Walchra Waſdam ſubſtitutam perſuaſum habeo. Eadem circiter tempeſtate vita Wichmannus fungitur, ſuccedente uxoris jure Comite, ex quo interemtus Wichmannus fuerat, unico opum ejus hærede. Vnde caſtrum Gandavenſe, Aloſtum, Waſia cæteraque ante Wichmanno ſubjecta ditio, in unum cum Hollandis corpus coaluit. Sub idem quoque tempus Egbertum filium, Egmondanæ Eccleſiæ ſubdiaconum, Treviros Theodericus ablegavit. Vbi ſanctorum reliquias contemplatus, & religione captus juvenis, ilico vitam votaque Deo addictius conſecravit: tantaque pietate excelluit, ut Henrico Archiepiſcopo, mox & Theoderico

qui

Digitized by Google

qui ſucceſſerat, ad æternas ſedes tranſlato, magno omnium conſenſu, ſeptuageſimo ſæculi decimi anno, ſupremo in ſacris faſtigio ibidem cumularetur. Equidem non ignoro eſſe, qui Egbertum Theoderico natum abnuant, ipſosque Trevirenſes Britannia ortum dictitare: ſed auctori vitæ Adalberti aſſentior, qui ipſum ſibi Arnulphum ſæpius viſum, & Egbertum quo dixi parente genitum refert. Igitur Egbertus per literas patrem delati honoris certiorem facit, rogitans, ut cum fratre, & propinquorum cæteris, Treviros ad inviſendum ſe veniret. Sed Comes ſenecta invalidus, itinerumque moleſtiis impar, Arnulphum filium ire, & inaugurationis ſolennibus intereſſe voluit. Quo ille maximis itineribus cōtendens, multo cum gaudio & honore à fratre excipitur: & peractis, quæ in talibus adhiberi ſolent, cerimoniis, Eccleſiam Trevirenſem, uſitato principibus more, egregia liberalitate auget. Ad ſuos regreſſus, vitæ hujus faſtidio, congreſſus hominum fugiens, annos complures divinis meditationibus tranſegit: non matrimonii, non aliorum id genus memor, quæ mortalibus curæ eſſe adſueverunt. At parentis altius ea animum penetrabant. Quippe è triplici ſobole nullam nepotum ſpem. Egbertum Antiſtem, Arlindam ſepoſitis humanis Deo ſoli vacare, nunc tertium quoque veſtigia fratris & ſororis ingreſſum, cum dolore ſenior reputabat. Verſo deinde ad Rempublicam animo, miſeram illam, & brevi ruituram querebatur, ſi omnibus ad imperium natis eadem mens foret. Semper filiarum fore imperia, & matrimonio tandem in potentioris ſervitutem ſubditos venturos, cui non inſtituta, non conſuetudines gentis, ſed voluntas pro lege eſſet. Nec omittebat filium monere, hortari, ut regiminis, ut ſubditorum curam ſuſciperet, ſed fruſtra, quando penitus divinis rapto, mortalia vileſcebant. Anno qui Chriſtianis poſt nongentos ſeptimus & ſeptuageſimus numerabatur, Comes Egmondanum monaſterium, ante à Friſiis

Margin: IↃ CCCC LXX. (beside "conſenſu … cumularetur"); IↃ CCCC LXXVII. (beside "Anno qui … numerabatur")

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

 everſum,

Digitized by Google

everſum, inſtaurare aggreſſus, pro ligneo lapideum erexit. Et quia propinquitate ſitus Friſiorum injuriis patebat, monachos imponit, & ſacris, quæ hactenus illic habitarant, virginibus Hemſtedam tranſlatis, quo ſenſim is ordo concideret, in defunctarum locum novas ſurrogari vetuit. Egmondanorum & proventus adauxit, donato vicino agro, & teloneo Alcmariano. Multa quoque ab uxore ejus Hildegardi, & Egberto Trevirenſium Epiſcopo acceſſerunt, quæ poſteris tradere magis curæ Egmondanis fuit, quam res à donantibus foris domique geſtas. Per idem fere tempus Blandinienſe monaſterium Kleihamum Comitis liberalitate accepit; quod Keihamum, haud procul Dixmuida, nuncupari inde Meierus credidit, quia hodieque Blandinienſes eum locum poſſident. Manifeſtum hinc non arctis perinde terminis clauſum fuiſſe imperium Theoderici, ac hiſtoricorum plerique hactenus putavere. Tametſi non abnuerim ea per conjugium Comiti acceſſiſſe. Nam in tabulis donati Kleihami, Hildegardis quoque nomen legitur, quod fieri haud ſolitum, quando ex paterna hæreditate donatio à Principibus fieret. Eodem quoque argumento probauerim, non Comitem, ut nonnullis perſuaſum ſupra retuli, ſed Hildegardim Wichmanni progeniem fuiſſe. Omittere haud libet, ne talium incurioſus videar, eadem tempeſtate S. Hieronis, à Nortmannis extincti oſſa, Nordovico, ubi adhuc delituerant, Egmondam Comitem
IↃ CCCC LXXVIII. tranſtuliſſe. Anno ſupra nongentos duodeoctogeſimo Otho Imperator, id vocabulum ſecundus, dum de Lotharingiæ poſſeſſione cum Lothario Francorum Rege decertat, metu ejus belli inferiorem Germaniam petens, quæcumque alii donaverant Blandinienſi cœnobio ſancivit. Ea inter Bevelandiæ ager fuit à Zuthera & Zutflicka ad Cortagoſuram pertinens, & in Walachris Campa. Sed Blandinienſibus pleraque locorum, & juris in ea, ſuperfuſi fluctus eripuerunt.

Interea

Interea aſſidue Comitem ſolitudo filii, & averſus ab imperio, à publicis curis, à matrimonio animus inquietum agitabant. Sæpe repulſam paſſus, acrius conſtantiam & pietatem ejus aggreditur, & inter cætera verborum: *Equidem*, inquit, *fili Numini ſummo obnixe grates ago, quod è trina ſobole, neminem mundi aut fluxarum rerum illecebris captum videam. Vnde mihi voluptas tanto major, quanto rarius eſt in ſumma fortuna, felicitatis ſuæ oblivisci. Nam plerosque mortalium aut impuri ignes, aut inſtabiles divitiæ, aut denique gloriæ immoderata cupido corrumpere adſuevit. Singula hæc vobis ſuppeditabant. Sed carere iis, quam ſolutam vitam tranſigere maluiſtis. Vere illud imperare eſt, ſupremo Numini ſervire. Quare impius ſim, niſi reverentem excelſæ illius majeſtatis animum approbrem. Perſevera in conſilio, & Chriſto devotam mentem retine: habebis præmium majus, quanto graviores ſtimulos effugiſti. Id unum moneo, memor ſis cur ſummo te loco naſci Deus voluerit. Exſpectant curam tuam ſubditi, exſpectant ſobolem. Id oneris tibi ſubeundum. Cœlibem vitam placere Numini gnarum mihi. Verum idem te quoque ſubditorum rationem habere voluit; quis exſors conjugii nequaquam ſatis conſulueris. Breve ſpatium vitæ noſtræ: itaque providere æquum, ne in te uno Reſpublica periclitetur. Pluribus munimentis inſiſtendum eſt. Nec adoptione, quamvis alibi exempla occurrant, hanc Rempublicam firmare poſſis, niſi Patrum voluntas accedat. Iam & major auctoritas principi, plus ſubditis obſequii, ubi parem tantæ moli animum commendat jus ſucceſſionis. Accipe igitur conjugem fili, & Rempublicam metu, parentem curis libera. Peccares ſi orbam relinqueres illam, peccares ſi parentis, quo in terris non alius obſequium juſtius poſcit, mandatis temet opponeres. Occurrant ad animum pericula Reipublicæ vacuo ſummo faſtigio, occurrant ſeditiones, bella civilia, cædes, & quibus aliis orbitas tua materiam, aut occaſionem datura erit. Ego certe, quantum in me fuit, providi ne firmamenta Reipublicæ deeſſent: te degenerare tanto iniquius eſt, quanto majores ſpes & ego, & ſubditi omnes de te conceperunt.* Sic victa juvenis modeſtia, quam nobilitatis quoque aſſidua vota fatigabant. Igitur ad matrimonium verſo, præ cæteris Cliviæ

Princi-

Digitized by Google

Iↄ cccc Principis filia Lutgardis placuit, quam anno poſt nongentos
LXXX. octogeſimo penatibus induxit. Reperias qui tradiderint, Lutgardin junioris Romani, Conſtantinopolitani Imperatoris filiam, eandemque ſororem fuiſſe Theophanæ, Othoni Cæſari nuptæ. Sed obſtant Blandinienſis cœnobii archiva, quis Clivica Lutgardis nuncupatur. Nec multo poſt natus Arnulpho filius omnem ſeni ſollicitudinem exemit, & in avi proavique memoriam Theodericus appellatus eſt. Poſtea & eodem thoro orti Adalbertus, Henricus, & Sifridus. Eo tempore Imperator Otho tractus nonnullos antea Walgero, & Radbodo, mox fratribus ejus poſſeſſos, & Baldrico Trajectenſiũ Epiſcopo à parẽte ſuo donatos ſancivit, adjectis inſuper novis. Cæte-
Iↄ cccc rũ cum Othonem annus poſt nõgentos tertius & octogeſimus
LXXXIII. ex mortalibus amolitus eſſet, Otho paterni & nominis, & imperii hæres ſucceſſit. Quo impubere Theophana mater principatum tenuit, donec puer adoleſceret. Validi in animo Theophanæ erant Egbertus Trevirenſium Antiſtes, & Henricus Bavariæ Dux, Cæſaris idem cognatus. Et quia jampridem ceſſaverat, Francorum, quod ſibi in Batavos arrogaverant, jus, utriuſque horum precibus effectum eſt, ut Otho altero
Iↄ cccc imperii ſuo anno, octavo kal. Sept. exſolveret quoque eoſdem
LXXXV. obſequio, quo eos teneri hactenus Romani Imperatores crediderant. Quin & è tabulis fines imperii Theoderici cognoſcas. Nam quidquid Liram & Iſalam fluvios ſoli interjacet, Sunnemariæ oppidum, adjectumque agrum, & cuncta inter Chimeloſaram & Medemelacham amnes ſita, comitatus Maſelandiam, Kenemariam, Texeliamque, cujus nunc magnam partem oceanus habet, Comites tenuere. Cæſares ſummum jus ſibi in hæc cuncta vindicabant, quo nunc ſponte ceſſit, ſola huſlada (id ædibus impoſitum tributum, ut vocabulum indicat) in Texeliam, quo dubito jure, ſibi reſervata. Sed totus ille tractus inter Chimeloſaram & Medemelacham flumina, nunc

pene

Digitized by Google

pene aquis obrutus : memoriam Medemelachæ ſolum prodente oppidulo Medenblica. At Liram fluvium, quem Lieram, ac Lioram vocant, Lingam hodie nuncupari, perſuadet mihi impoſitum huic oppidum Leerdamum, quod Liræ aggerem ſignare videtur. Sed nec auctiori imperio, nec firmatæ libertati, diu ſuperſtes Theodericus Comes : qui anno ſupra nongentos duodenonageſimo, II Non. Maji mortalitatem implevit: cum III Non. ejus qui præceſſerat Aprilis, extincta Hildegardis in Arnulphum filium, inde Gandavenſis nomen adeptum, tranſmiſiſſet imperium Caſtelli Gandavenſis, Comitatus Aloſtani, Waſiæ, & reliquorum tractuum. Annos imperii quinque & viginti habuit Theodericus, ſi quemadmodum ſupra retulimus, tertio & ſexageſimo id ingreſſus ſit. Tum imperium, opes, cætera paterna in ARNVLPHVM unum tranſlata, cui annuum pene bellum adverſus Friſios fuit, jugum tolerare neſcios, eoque in verba ejus jurare abnuentes. Accendebat feroces animos, quod gentiles, ad Amaſim habitantes, ſumma in libertate agitare, ſe contra Hollandorum imperio ſubditos: & qui olim uni Regi paruiſſent, in diverſa diſtractos indignabantur. *Iungendas tandem opes & depellenda publicis cervicibus Comitum imperia : egregioque facinore obliterandam ſervitutis memoriam* clamitabant. *Fortunam pro audacibus, & plerumq; opinione hominum ſuperiorem eſſe, qui primus laceſſeret : dum æque vanis & inanibus ac juſtis formidinis cauſis moventur. Quando auſuros remedia quærere, niſi novũ adhuc Principem occuparent.* Ita ſemet exſtimulantes, accedentibus inſuper, ut credibile, Ciſamaſanorum hortamentis, ſine mora ſubditam Arnulpho ditionem invadunt. Ille ſimul mota arma, & Friſiorum rabiem accepit, haud cunctanter obviam progreditur: hoſtemque adeptus, clade tanta fregit, ut pacem & veniam ſupplex oraret. Ita Friſiis obſequium & quies primo ejus anno rediit. Sed mox rupto jurejurando, reſumſere hoſtilia, & cuncta pervaſtantes, perpulere Comitem, ut manum

IↃCCC LXXXVIII

Digitized by Google

mitteret populandis eorum agris, perfidiæq; ulciſcendæ. Quatuordecim anni inter arma exacti, magno agrorum hominumque damno: & cum indies Friſiorum furor gliſceret, tandem coactis copiis terram eorum Comes ingreditur. Winckela ignobilis vicus eſt, quem opportunum ſibi locum Arnulphus ratus, poni caſtra juſſit. Vix cœptum opus, cum per avia Friſii inopinis Hollandis ſupervenere. Comes territos repentino hoſtium adventu milites hortatus, ne injurias paterentur, neve ruptorem ſacramenti hoſtem extimeſcerent, in prœlium ducit. Nec diu eminus certatum, iratæ acies manus conſerunt, & collato pede gladiis rem gerunt. Stabant diu Friſii, gnari nullam victis veniam, nullã ſalutis ſpem. Quod advertens Comes, ingens facinus, magis ad temeritatis, quam prudentiæ famam auſus eſt. Etenim cum paucis longius à ſuis provectus, in medios ſe hoſtium cuneos immittit; & cæſis obſiſtentium permultis, dum remeare ad ſuos niſi victis hoſtibus inglorium putat, globo Friſiorum circumventus, cum unus maxime peteretur, dare tergum coactus eſt. Fregit id militum animos: & quamvis æquo Marte dimicantes, acrius urgentibus Friſiis victoriam conceſſere. Ingens tum ſtrages edita: Comes ipſe, dum militem in prœlium reducere conatur, ſagitta ictus occumbit. Noſtri indignum rati ſi cadavere hoſtis potiretur, renovant certamen, & multo labore votum adſecuti, fugam maturant; nequaquam inſequentibus Friſiis, qui non minus reſpirandi ſibi, quam victis fugæ ſpatium dederunt. Quippe cæſo Comite, acto in fugam exercitu, receptam jam libertatem exiſtimabant. Hic Arnulphum exitus habuit, tantæ pietatis Principem, ut poſterorum judiciis inter Sanctos referreretur. Nec dubitant aſſerere monachi, miraculis poſt fatum claruiſſe. Septem & decem annis imperitaverat. Nam falſos arbitror, quotcumque Hollandicarum rerum ſcriptores anno poſt nongentos tertio & nonageſimo interfectum tradidere,

CIↃ V.

cum

Digitized by Google

cum Blandinienſis cœnobii archiva, biennio ante milleſimum annum ſuperfuiſſe, & donata pagi Materni Eccleſia, auctos reditus ſuos aſſeverent. Quã opinionem Becani quoq; auctoritas juvat, qui filio hujus quatuor & triginta, non ut alii ſeptẽ & quadraginta imperii annos tribuit. Neque animus mihi eorum ſubſcribere ſententiæ, qui Arnulphum, & utrumque Theodericum, quorum geſta jam memoravimus, Comitum ſerie excludendos putant, & tot exteris & indigenis auctoribus, fidem derogare auſi; aliter judicaturi, ſi Adalberti vitam, & quæ illic ſcribuntur, perluſtraſſent. Extincto Arnulpho, ita diviſum ab liberis imperium eſt, ut Hollandiam, Zelandiam, Friſiam, Waſianamque ditionem, & terram quam quatuor officiorum vocant, maximus natu THEODERICVS, Aloſtanum Comitatum Adalbertus haberet: ſed non multo poſt ſtirpe ceſſante virili, Aloſtum per connubia Flandris ceſſit. Henrico quid obvenerit, haud pro certo conſtat; ego Gandavenſis caſtelli præfecturam tenuiſſe crediderim. Sifridus, cui Sicconis cognomentum, Kenemariis vicaria poteſtate impoſitus. Data tamen eidem Hollandiæ pars in poſteros tramittendi jure: quod ex iis colligere eſt, quæ Egmondano cœnobio ab illo donata Annales tradidere; & quod Chronici Egmondani auctor, eum cum Theoderico ſimul Arnulpho ſucceſſiſſe affirmet. Scribunt hiſtoricorum recentiores, in ſuperſtitis adhuc parentis aula, primarium è nobilitate virum ab eo interfectum, & paternam iram veritũ ad Goſwinum Ludigmanum, Friſiis tum præfectũ, perfugiſſe, donec ducta in matrimonium filia ejus Tetta, veniã impetraret. Sed negant pleriq; ſcelus patrari à puero potuiſſe. Etenim vulgo hactenus creditum anno poſt nongentos tertio & nonageſimo Arnulphũ cecidiſſe. Mihi in re obſcura neutris aſſentiri libet: cum vetuſtiſſimi ſcriptores ſileant, & non ignorẽ per ætatem licuiſſe. Hunc vero Sifridum, primum Bredenrodæ toparchã, & auctorem illuſtris Bredenrodiorũ ac Teilingiorũ

Digitized by Google

generis fuiſſe, Annales teſtatum reliquere. Sed Theodericus ſimul imperium tenuit, necdum firmatos ex noviſſima clade Hollandos,in hoſtem ducere non auſus,legationibus Friſiorum animos tentare ſtatuit, miſſiſque primorum nonnullis, anteactorum veniam & gratiam ſuam pollicetur, ſi obſequium reſumerent. Illi fruſtra pro libertate certatum, & ignaviæ rati, ſi victores à victo pacis leges acciperent, legationem ſprevere. Comiti vacuum non erat ulciſci: itaque bellum diſtulit. Diſtinebatur contentione cum Trajectinis, orta de Merweda, in quam jus ſibi vindicabant, quod jam à multis annis Trajectini, Colonienſes, Leodienſes ac Trevirenſes Antiſtites,acceptum à Cæſare jus ſacra ac piſcatum quibuſdam tractibus exercendi, uſurpaverant. Contra Comes ſua eſſe ratus, quæ ſuis finibus, avo etiam ab Othone Cæſare ſancitis,includebantur,caſtellum ædificat, quo loco Vahalis & Moſa cõmittuntur, prohibiturus ſi quid hoſtile Epiſcopus tentaret,dein ne proventus publici,& vectigalia interpellarentur. Stetitque ea lis, modeſte agitata, donec Adelboldus, violento ingenio, & Hollandis etiam cum privatus viveret infenſus, Trajectinam ſedẽ, defuncto Aufrido
CIϽ VII. poſſedit. Septima æſtate ſæculi quod Chriſtiani undecimum numerabant,bellum à Balduino Barbato Flandriæ Comite adverſus Henricum Imperatorem gerebatur; quo totã pene Flandriam Cæſar vaſtavit,urbes, pagos, caſtella evertit,adeo ut redactus ad extrema Flander pacem peteret, facili Imperatore, qui quicquid vi obtinere Balduinus incaſſum tentaverat; ultro ſupplici conceſſit;addita inſuper Walachria,quam ante Hollandis donaverat Lotharius. Putat Meierus Flandricarum rerum ſcriptor, univerſam Scaldi tenus Zelandiam Barbato conceſſam,adverſante Sigisberto,& Flandrici Chronici auctore: qui ſolius Walachriæ meminerunt. Hinc duplex fama, credentibus quibuſdam Flandros ab eo tempore Walachriam tenuiſſe, aliis demum à Roberto Balduini filio ſubactam. Obſcura res eſt
in

Digitized by Google

in ſilentio Annalium, ſed huic opinioni accedere malim. Neque enim jam poſſeſſa Robertus occupare potuit. Scribit quidem Meierus à Florentio ademtam Flandris Walachriam: ſed neque quo tempore id factum, aut bellum cum Hollandis geſtum ſit, tacente antiquitate affirmare potuit. Scilicet ſimile vero putavit, ſimul cum jure poſſeſſionem quoque Flandris cœpiſſe: quamvis diverſis exemplis plenæ ſint hiſtoriæ. Sic datum Antiſtitibus Trajectinorum in Oſtergoam & Weſtergoam jus, quos tamen pene nunquam in poteſtate habuerunt. Mihi Principum artes altius inſpicienti, haud abſurdus videatur, qui nudum jus ab Imperatore donatum crediderit, ut bellicoſas, & conterminas gentes, diuturno implicaret bello, quo mutuis cladibus attritos, & exſangues ipſe debellaret, formidoloſa, ob grandia incrementa, Hollandorum, quamvis nuper orta, potentia. Certe ſecuta inde bella, quis plerunque ſe Cæſares miſcuerunt, juſtam ſuſpicioni cauſam præbent. Igitur ſimul belli materies Flandris adverſum Hollandos fuit, & aliæ offenſæ acceſſere; tantis iris in arma itum eſt, ut nullum unquam inter vicinas nationes acrius bellum arſerit: illatæ clades, duces, principeſque capti, vulnera, mortes ſine fine: denique quadringentis annis nunquam quies, nunquam poſita odia, niſi ut vehementius exardeſcerent. Anno ejuſdem ſæculi octavo, Aufrido Trajectinorum Epiſcopo defuncto, Adelboldus ut ante retulimus ſucceſſit. Is ſummis ante dignitatibus in aula Henrici Cæſaris functus, & particeps arcanorum omnium fuerat. Vnde orta ſuſpicio, ejus inſtinctu Walachriam à Cæſare Flandris datam. Ira etiam adverſum Hollandos, & patria Friſia, poſteritatem credere coëgit, illo auctore rebellaſſe Friſios, cæſumque Arnulphum. Et primo quidem modeſte egit, donec Nortmannorum, qui Trajectum occuparant, bello diſtineretur. Vt pulſis barbaris, domeſtica pericula ceſſavere, condita odii promſit, omnemque in Hollandos CIↃVIII.

iram effudit. Vrebat animum, quod exſtructo caſtello Merwedam Comes retineret. Igitur dimiſſis legatis reddi ſua poſtulat, & ſimul repulſam paſſus, imperat ſubditis, populationibus ac rapinis cuncta Hollandorum infeſtarent. Erat inter cæteros Epiſcopi clientes Theodericus Bavo, Bodengravæ ac Zuamerdami Comes, patroni odiis ſuam quoque privatam in Hollandiæ Comitem iram adjiciens. Qui ut caſum explendi vindicta animi obveniſſe, & gratum id Epiſcopo comperit, acrior reliquis ferro atque igni cuncta invadere. Nunciatur Comiti pavidis & profugis ab agreſtibus, cuncta rapinis cædibuſque miſceri, nec à Bavonis ira tutum quidquam. Itaque aſſumtis cohortibus aliquot, populantem hoſtem adipiſcitur, primoque ſtatim incurſu pellit, & utroque comitatu exuit. Elapſus fuga Bavo, ſqualIenti ore, & habitu, Trajectum petit: & Epiſcopum jam ipſum minas ſpirantem, hortatur, ſine mora arma corripere; & fortunæ ſecuritate, patentem injuriis Hollandum opprimere. Nec multis verbis cupidos incendi opus erat: conclamant illico rapienda arma, præ cæteris inclinante huc Adelboldo; & quis diuturna pax, aut anguſtæ domi res, deſiderium belli, præmiorumque ſpem injecerant. Igitur Antiſtes univerſa ditione ſua (quæ tunc maxima, ad Amiſiam uſque amnem pertinebat) militem, jumenta, cætera neceſſaria multa cum cura conquiri jubet. Poſtquam ea collecta, & abunde virium adeſſe viſum, anno ſæculi
CIↃXVII. hujus ſeptimo & decimo caſtra in Hollandiam movet, favente ubique fortuna, non hoſtili manu, non urbibus validis cœpta remorantibus. Bodengravam & Zuamerdamum receptum Bavoni reddit. Iamque ſpes ſuas antegreſſus, ut ſecundis rebus ſolitum, læta omnia ſibi, & pavidum Comitem fugere prœlia fingebat; cum auctis ille copiis ſupervenit. Par utriſque ardor, & cæſum Bavonem Hollandi, noviſſime acta hoſtes cum ſpe & fiducia reputabant. Datur ſignum, & u-

&utrimque commiſſæ acies diu æquo Marte decertabant. Ad ultimum vicere Hollandi, & hoſtem in fugam dedere. Comes fortunam & victos urgens, ingentem in ipſa fuga numerum concidit: quem tamen longinqua vetuſtas, aut incurioſi auctores non tradidere. Id conſtat, Wigerum Epiſcopo proximum dignitate, dein Wikindum & Gadezonem Comites, Algarum, Lazonem, ac Zuederum equites, cum plurima nobilitate cecidiſſe. Hoc primum Hollandorum cum Trajectinis prœlium, prima hæc victoria fuit, eo inluſtrior, quod ſua utrique virtute freti, ſpernere non poterant hoſtem ſibi inexpertum. Sunt qui hoc, vel altero quod fingunt prœlio captum ferant Adelboldum: quam opinionem perperam conceptam reor, è pugna infra nobis memoranda. Adelboldus ubi armis fruſtra certari vidit, ad diſceptandam coram judice contentionem vertit. Et quia validus gratia apud Cæſarem, omnia, illo arbitro, æqua ſibi fore ſperabat, Noviomagum proficiſcitur, & Imperatori forte ibi tum agitanti, illatas ab Comite injurias occupatamque Merwedam queritur. Non ſatis agrorum deſolationem fuiſſe, Bavonem amicum fidiſſimum utroque Comitatu ſpoliatum. Oppoſuiſſe quidem ſe arma, ſed nihil præter luctum, vulnera & funera retuliſſe. Solam nunc auctoritatem ejus reliquam ſibi, qua & injuſte parta recipi, & compeſci hoſtium inſolentia poſſet. Cæſar audito Antiſtite Theodericum evocat, reddendæ actorum rationi. Addit ſi æquiora ille urgeret, jure potius quam vi contendendum. Comes juxta periculoſo utroque, ſeu ſperneret monentem, ſive obſequeretur, ire Noviomagum ſtatuit, tametſi nec Cæſari jus evocandi ſe, qui ſuperiorem agnoſceret neminem; nec æquum judicem fore intelligebat eum, qui donatione Walachriæ ſatis averſum animum oſtendiſſet. Poſtquam in urbem venit, & diu ſuper jure in Merwedam diſceptatum eſt, Cæſar pronior in Adelboldum, cedere Theodericum, & illata Epiſco-

Digitized by Google

Epiſcopo detrimenta ſarcire jubet, additis, ni pareat, minis, & exſtimulato Adelboldo, ut vocatis ad ſocietatem belli principum vicinis, injuſte erepta repeteret. Comes protinus relicto Noviomago ad ſua redit, vi prohibiturus, ſi quid ab Adelboldo moveretur. Nec ille dilationem paſſus, totam prope inferiorem Germaniam ad arma excivit. Tantum Hollandorum odium, tam promti omnium animi erant ad nutum Cæſaris, ut ad unam gentem opprimendam, velut ad commune incendium, concurrerent Lotharingiæ Dux Godefridus, Balduinus Flandriæ Comes, Heribertus Colonienſium, Baldericus Leodici, & Gerardus Cameracenſis Antiſtites, qui tum maximi in Belgica nominis erant. Ex his qui per valetudinem adeſſe ipſi nequibant, exercitus tamen miſere. Etenim Baldericum Herewardæ (quod pago vocabulum) morbus, Balduinum Flandriæ Comitem domeſticæ curæ attinebant. Sed exercitus, ſub æſtatis proximæ initium, ſimulatque in Hollandiam venere, juncti Trajectinis, nec religione territi, caſtra in loco acceptæ cladis ponunt. Quos ut propinquaſſe fama tulit, Comes, trepidus primo, & mox repente mutatus, durat mentem, aſſumtoque fratre Sifrido in occurſum progreditur. Eductis in aciem militibus, & ſola claſſici exſpectatione manus retinente, apud circumfuſos ita cœpit: *Hæc dies aut vobis, commilitones, priſtinam firmabit libertatem, aut, quod abominor, rapiet. Nam eo nunc neceſſitatis ventum eſt, ut libertas, ut patria, & conjuges liberique non niſi ferro defendi queant. Non urbes nobis, non mœnia, quæ propulſare vim hoſtilem, aut vos tutari poſſint, ſed omnia in veſtris manibus, in hoc certamine ſita. Virtute pares; ſi impendens diſcrimen æſtimetis, neceſſitate ſuperiores eſtis. Illic multitudo varia, diſſona, nec animi ſatis in omnem parati caſum; quippe pro alienis nemo facile vitam deſeruerit. Diverſa agmina, tot duces, alii alia cupientes. Vobis unus ego ubi opus erit hortator adero, & auxilia laborantibus feram; ut non ducem*

Digitized by Google

cem magis, quam ſocium periculorum in me agnoſcatis. Ardebant jam militum animi, ut quamvis pauci, non immenſi agminis aſpectι cohiberentur, quin ſignum alacres poſcerent. Acriter concurſum eſt, dum ſui cuique ſtimuli, & hoſtis numero, Hollandus majorum virtute,& partis nuper victoriis fretus, ignavum ſe ni vinceret uterque arbitratur. Dum vehementiſſime certatur, audita ſubito vox *fugite, fugite*, quæ caſu, an Comitis mandato, an potius cœlo edita ſit, quod nonnulli credidere, pro certo ponendum non videtur. Ego Comitem juſſiſſe ſuſpicor, ut virtutem ſuorum conſilio juvaret, quando promtum hoſti ob multitudinem, feſſis recentes, ſauciis integros ſubmittere. Cæterum ut inopinus clamor auribus advolutus, perinde ac ſi invito numine certarent, terga dedere, fugam qua cuique proximum tentantes. Comes occaſionem negligendam haud ratus, fugientes eo pervicacius urgebat, quod elapſos, cognita fraude, aciem ſecundo auſuros, aut bellum reparaturos exiſtimaret. Plus tamen in Godefrido animi, qui ante geſta reputans, & ex fuga dedecus, acie non exceſſit. Hærebant lateri Lotharingi, impavidi, & quodcunque fatum dux ſubiret, ſecuturi. Vnde acrior illic pugna: Comes huc illuc volitans ne partam prope victoriam ex manibus dimitterent; Godefridus, ne tot victoriarum ſuperſtites, hactenus cum decore tranſactam militiam fœda fuga macularent, ſuos obteſtabantur. Quum Hollandi reſumtis animis hoſtem, qua parte confertiſſime dimicabatur irrumpunt, & referre pedem adigunt. Nec Godefridus accendere promtos, hortari languidos, increpare aut retrahere fugientes omittebat: ſed non preces, non imperia territos tenuere, quo minus fuga ſalutem peterent. Dux Lotharingus, ut ſe deſertum pene, nec ſpem ullam victoriæ videt, fugæ dedecorique ſuorum ſupereſſe indignum ratus, paucis ſequentibus in obſiſtentes ruit: quem circumventum globo militum, & multum repugnantem,

Digitized by Google

tem, Comes vivum tamen cepit. Hic exitus prœlii fuit, quod cum tot tantiſque exercitibus Hollandi commiſere: cujus magnitudinem vel inde æſtimaveris, quod à Caroli Magni temporibus, nunquam atrocius certatum tradat Ditmarus: totaque in Lotharingia nullam fere domum inventam, qua non planctus & lamenta ſuper parentis, ſuper liberum, ſuper propinquorum mortibus audirentur. Inter occiſorum cæteros præcelluere Godefridus & Ioannes Comites, ſuperioribus illuſtres victoriis, eoque cari Henrico Cæſari. Tum Sifridus & Hermannus dynaſtæ, equeſtris ordinis, & nobilium ingens turba: reliquorum ob multitudinem neglectus eſt numerus, aut vetuſtas memoriam aboluit. Balderici, & Cameracenſis Epiſcoporum miles internecione deletus, Adelboldus, disjectis ſuis, vix cymba evaſit. At Godefridi pleræque copiæ adverſis vulneribus cecidere. Præceſſerant cladem varia prodigia: nam & inviſum mortalibus ſidus, Arcton majorem propter, quatuordecim dies fulſerat, & aves inter ſe certantes, occupatumque à victricibus commiſſi mox prœlii locum, multi obſervaverant. Ex Northorunia allatum, lupos tres congreſſos, majore miraculo, quod nulla illic viſæ id generis beſtiæ memoria. His ſeu veris, ſeu poſt eventum confictis, erant qui adderent, eadem hora, qua in fugam acti hoſtes ſunt, Baldericum Leodici Antiſtitem, quem Herewardæ morbo detentum ſupra memoravimus, exſpiraſſe: ut plerumque fortuita ſuperſtitio in omen trahit. Godefridum Ducem, Henrici Cæſaris arma veritus, Comes dimiſit; pollicitum (quod ab Henrico impetraſſe eum in Ninivenſi chronico legitur) hoſtilia adverſum Hollandos non ſumturum. Idem & Adelboldum fractum jam, & exanguem, cum Theoderico pacem facere, & omni in Hollandos Friſioſque jure, renunciare perpulit: adeo ut, quamquam invitus, Merwedam, Bodengraviam, & Zuamerdamum Hollandis

Digitized by Google

landis relinquere cogeretur. Ius tamen in ſacris integrum Antiſtitibus permanſit. Eodem dubium an ſequente anno, Comes, duplici inluſtris victoria, exercitum in Friſios rapit, quis, poſt varia cladium illatarum & acceptarum, tantum abfuit, ut imponere jugum quiret, ut Annales parum abſuiſſe tradant, quin univerſa amitteretur Kenemaria. Sed mox repetita expeditio felicius ceſſit, qua omnem Friſiam vaſtatam Anſelmus Leodicenſis ſcribit. Ego quoque ſub jugum miſſam facile crediderim, motus eo, quod Florentium, inter filios Theoderici minimum, Friſiis à parente impoſitum firment Annales. Certe illo regente obſequium, & operam Hollandis à Friſiis præſtitam, convenit. At anno poſt exacta decem ſæcula primo & viceſimo poſtulatu Comitis conſcriptas ab Adelboldo tabulas ferunt, quis vicinorum principum obnoxios ſibi, & quem in aula Epiſcopali locum teneret quiſque, inſcripſerit. Contineturque Hollandiam & Kenemariam à Trajectina Eccleſia Comiti in feudum datam: nam in Weſtfriſiam & Waterlandiam, quamquam illas teneret, nihil illi juris, ſed totas Epiſcopi eſſe: Geldriæ Comitem Zutphaniam, Brabantiæ Ducem Kempiniam & Thilam, & alios alia obtinere jure non ſupremo. Adduntur mox dignitates; Brabantinus dapiferi munere, Hollandus Mareſchalli, Geldriæ Comes venatoris titulo ornatur. Quæ ab ignaro rerum, ac neſcio temporum illorum conficta hoc ſolum arguerit, quod Brabantiæ Ducem, Hollandiæ Comitem, nuncupat, cum neutri terrarum ea tempeſtate rectores iſthoc nomine fuerint. Nec Geldriam tunc Comites, aut Cuicenſem ditionem dynaſtæ, ſed hanc quidem Comites, illam Tutores habuere. Piget dicere, Zutphaniam, quam Geldriæ Comitibus in feudum conceſſam ibidem legitur, tunc propriis Comitibus paruiſſe. Sin aliquis has tabulas genuinas putet, & addito tempore, cum dignitatibus principum etiam nomina in iis mutata contendat, quod tamen nec factum legi un-

CIↃ XIX.

CIↃ XXI.

E 2 quam,

quam, & ne ſuſpecta antiquitas reddatur vitari ſolet, ſtatuendum erit, redemptum à Comitibus feudum; quod juris habuiſſe eos, ſubditum reperi exemplo tabularum ex archivis Trajectinis deſcriptarum; aut Conrado Antiſtite renunciante cunctis, quæ ſibi in Hollandos vindicabat, ſimul illud quoque jus ſublatum. Sed ad Comitem redeo, qui circa hæc tempora, cum multæ à Chriſtianis principibus peregrinationes ſuſciperentur ad Palæſtinam, & loca humani generis Soſpitatori calcata, ejuſdemque ſepulchrum viſendum; pio accenſus deſiderio, & pacatis domi rebus, nec ullo ab hoſte metu, eodem contendit; primus inter Comites, qui tam procul abſitas imperio ſuo terras adierit; unde & Hieroſolymitani vocabulo poſteritati celebratur. Crediturque domum reverſus plura etiam bella geſſiſſe; quibus locis aut quo cum hoſte, cum Annales ſileant, ignarum nobis. Etenim bellum adverſus Friſios ex geſtis ejus poſtremum eſt, quod ad noſtram pervenit memoriam. *Anno ejuſdem ſæculi undequadrageſimo, ſexto*
CIↃ XXXIX. Kalend. Ianuar. morbo correptus animam numini reddidit: ac magno omnium luctu, magno ſui deſiderio relicto, Egmondæ majorum monumentis illatus eſt. Annos imperii quatuor & triginta, non ut aliis viſum ſeptem & quadraginta, uxorem Othelhildim ſeu Withildim habuit; Saxoniæ ducis, an quod nonnulli putabant, Luſignani Comitis filiam, quæ exſtincto conjuge ad parentes reverſa, quadriennium mœſtitiæ ſuæ ſuperfuit. Prolem ex ea Comes geminam ſuſceperat, Theodericum & Florentium, Friſiis jampridem à parente præpoſitum. Summa rerum, & Hollandorum regimen ad THEODERICUM devolutum, in ordine Principum, quis idem vocabulum fuerat, quartum: quem cur Hermannus Contractus Flardirtingæ Marchionem nuncupet, incertum: niſi forte illa præci-

pua

pua tunc Hollandorum urbs, aut, quod ſuſpicor, Vlardingæ ſedem habuit, indeque honos oppido quæſitus. Equidem Contractum Cæſari proniorem, quicum bellum Theoderico fuit, per contemtum ita Comitem appellaſſe, facile mihi perſuaſerim. Quartum Theodericus annum regnabat, cum tertio Non. Novembr. Flandriæ magnam partem Oceanus inundavit. Et CIƆ XLII
quia plerarumque id genus cladium particeps quoque fuit Hollandia, ne nunc quidem Oceani injuriam effugiſſe eam arbitrer, niſi collium natura mari objectorum, & aggerum præſidio, quos non alia gens accuratius ſtruere novit, calamitas averſa fuerit. Interea apud Trajectinos defuncto Adelboldo, non in principatum minus quam iras Bernulphus Antiſtes ſucceſſerat: primordiis imperii quietus, unde opinio pleriſque, cum Adelboldo ſimul bellorum cauſam & cupidinem concidiſſe. Fine Theoderici, ſpem novam amiſſa recuperandi concipiens, Cæſarem Henricum fatigare aggreditur, ne priores injurias, ereptamque Merwedam, Bodengraviam & Suamerdamum negligeret. Si prima ſcelerum inulta maneant, nullum finem effreni cupidini fore, niſi Trajectinis ſubactis. Adverteret animum Cæſar, quam parvo ab exordio quantum in faſtigium opes & Hollandorum vires creviſſent. Motus Bernulphi precibus Cæſar, militem cogit, & anno undecimi ſæculi poſt quadrageſimum ſexto, ſub Paſchatis feſtum Trajectum veniens, CIƆ XLVI
inde in Hollandiam irrupit, cunctiſque vaſtatis, Merwedam ſubigit, & Epiſcopo donat. Ipſe non multo poſt in Germaniam regreditur, Theodericum majoris belli metu, & cladium recenti memoria nihil auſurum ratus. Vix abierat, cum Comes moto agmine, omnem iram in Epiſcopum effudit: nec Merwedâ receptâ penſata ſatis damna exiſtimans, univerſam Trajectinorum ditionem urit vaſtatque. Antiſtes poſtquā Cæſaris expeditione tantum acrius irritatum hoſtem advertit, iterum per legatos, per nuncios, orat ut componendis rebus Traje-

ctum ipſe rediret. Non ignarum Theoderico erat, arma Cæſarem paraturum, ſimul per occaſionem, & curarum molem liceret. Igitur ſocios belli quærens, opportunam habuit occaſionem, Godefrido, ob conceſſam Alberto Lotharingiam, bellum Cæſari movente, cui ſe Balduinus Flandrorum Comes junxerat, veterem adverſum Germanos Cæſares iram gerens. Igitur legatione Godefridum Comes adit, & Cæſaris potentiam oſtendens, facileque prævaliturum ſi diviſis viribus reſiſteretur, cum arma jungentibus ſat eſſet roboris ad oppugnandum, non ægre perſuaſit, ut fœdus commune percuterent. Quo convenit, ut Germanorum tractus Flandris conterminos Balduinus invaderet; Comes cum Godefrido Germaniam peteret. Igitur hi conductis in unum exercitibus, Noviomagum aggreſſi, capiunt, & palatio, quod illic auguſtiſſimum Imperatores habebant, incenſo, oppidum diripiunt. Inde in Germanorum agros effuſi, villas, pagos, caſtella, nullo reſiſtente exurunt, deſtruunt, aut populantur. Altera in parte Balduinus Einhamum, & Brachantum caſtella Imperii, dein totam ditionem Aloſtanam, cum Gandavenſi arce, Germanis ademit. Ita proſperæ undique res, donec ingruente bruma in hibernacula miles componeretur; quando ad ſuos quoque Theodericus reverſus eſt. At Cæſar, cognita trium principum conjuratione, tametſi arma ab Hungaris ſumpta nuntiabatur, Theodericum ſine mora petere conſtituit. Quod ubi Godefrido compertum, ceſſit ingens ille animus, & venia prævenire bellum feſtinans, mittit legatos qui culpam deprecarentur, obſequium, & ſi ita ferret, operam & auxilia promitterent. Sed Theodericus hoſtem orare degeneris exiſtimans militem ſcribit, caſtella præſidiis firmat, equos, arma conquiri, & leviores naves, committendo in amnibus prœlio habiles, parari jubet. Annus jam
CIↃXLVII ſeptimus ſupra quadrageſimum poſt exacta decem ſæcula agebatur, quum Rheno defluens Cæſar Hollandiam irrupit. Rhenoburgum

Digitized by Google

noburgum, Vlardingam, quæ munitiſſima tum loca his tractibus habebantur, occupat. Commodum autumnus cœperat, quo crebri imbres humilia terrarum prope in paludum ſpeciem mutaverant, ut vix viatoribus, nedum exercitui itinera paterent. Id gnarus Comes ſuos in inſidiis continebat, Cæſarem ſi quo pergeret, intercluſurus. Cæterum ille locorum ingenio eripi ſibi occaſionem debellandi dolens, abitum parat. Inſequitur cum navigiis Theodericus, & claſſem carpendo tantum terroris intulit, ut trepidi Cæſariani accelerarēt fugam. Captæ tamen naves aliquot, & damni plurimum illatum eſt. Pulſo Henrico, receptisque oppidis, Comes Leodicenſium & aliarum nationum naves, Dordrechti commercia exercentes, ob navatam Cæſari operam incendit aut detinuit. Nautas & mercatores correptos in vincula conjecit, bonis fiſco adſcriptis. Nec dimiſſus quiſquam, niſi qui ære libertatem redemiſſet. Vbi domum rediere, mœſti iratique naves, merces ereptas, injecta vincula, cætera triſtia conqueſti, Epiſcopum, & qui Principum alii in ſubditorum injuriis læſos ſe putabant, movêre ut arma & vindictā protinus meditarentur. Et mox Cæſaris hortamenta acceſſere, irent imperioque Hollandum exuerent. Belli cauſam Annalium auctores aliam prodidere. Etenim equeſtres ludos Leodici celebratos, eodemque profectum Comitem Colonienſis & Leodicenſis Epiſcoporum fratrem in decurſu peremiſſe memorant. Tum urbe profugum inſequentibus habitatoribus, duos nobilium, qui tardius ſubſequerentur, amiſiſſe. Quæ ego falſa exiſtimo, cum hoſce Antiſtites fratres fuiſſe nuſquam reperiam. Igitur excitatus ad bellum Leodicenſis Epiſcopus, mox impulſu Cæſaris ſocium cum copiis Metenſem Antiſtitem habuit. Parat ſimul arma Bernulphus, plenus ſpei felicius deſtinata proventura. Addunt Annalium ſcriptores, Colonienſem Epiſcopum, & Egbertum Marchionem Brandeburgicum expeditioni interfuiſſe. Mihi

id

Digitized by Google

id ſuſpectum in ſilentio antiquiorum, nec refellere auſim, cum reliqui conſentiant. Sed cunctis ad bellum paratis, fœderati, præcipite anno, nihil hoſtile metuente Theoderico, in Hollandiam pervenere. Atrox hiems, flumina, lacus, paludeſque glacie ſolidaverat, ut quamvis numeroſum exercitum nullo periculo tramitterent: quo inopinus magis & terribilis acceſſus fuit, nullo in armis milite, non præſidiis per oppida aut caſtella diſpoſitis. Primum conatibus Dordrechtum deſtinatur, locus acceptarum injuriarum, & cauſa diſſidii inter Hollandos Trajectinoſque: & quia munita urbs moram inlatura videbatur uno impetu conficere bellum cupientibus; præmittunt viatorum ſpecie nonnullos, qui corruptis cuſtodibus exercitum in urbem admiſere. Agitabat tum illic Gerardus Puttenæ toparcha, vir fide adverſum Comitem inſignis, & proditionis non antequam patraretur gnarus. Is ſecreto dimiſſis ad Comitem nuntiis, ſi ſtata nocte Dordrechtum veniret, conjuratorum ope ſe oppidum patefacturum, & facilem de hoſte victoriam promittit. Nec moratus diu Theodericus, ſolutos proſpero ſucceſſu Germanos, urbemque incuſtoditam repperit, adeo ut refractis per vim à Putteno portis mox admitteretur. Simul in forum concurſum, & acies ordinata, ſeptique platearum exitus, ne vagus & palabundus hoſtis conveniret. Tum ſigno dato ilico in cædes itum. Excivit is ſtrepitus Germanos, paſſimq; ex domibus erumpentes, prœlia ſuis quiſque locis cœptabant. Sed diſcretis parum roboris, unde confeſtim ceſſere. Epiſcopus uterque, & ducum cæteri, cum magna ſuorum manu, oppido elapſi: pars civium in penates abditi, ſupremam horam omnibus momentis exſpectabant. Cæſorum numerus in obſcuro eſt; grandem fuiſſe oſtendit, quod quadringenta ex præcipua nobilitate cadavera noſcebantur. Sed neque Theodericus diu gaudio uſus: etenim pulſis hoſtibus, dum ſub ortum Solis arctiorem plateam ingreſſus editam ſtragem contemplatur, ab hoſtium

CIↃ XLVIII.

Digitized by Google

hoſtium uno qui civis ædibus occultatus manſerat, infecta veneno ſagitta vulnus in femore, & biduo poſt Idib. Ianuariis finem accepit. Prodit adhuc rei memoriam infauſtæ plateæ vocabulum. At hoſtes, ubi cecidiſſe Theodericum pro certo habuere, reſumptis animis perculſos Hollandos rurſum invadunt, & feliciori exitu. Quippe univerſa fere auſtralis Hollandia in poteſtatem eorum venit, poſt quæ ulterius progredi non auſi, ditiſſimis onuſti ſpoliis domum remeavere. Sed FLORENTIVS defuncti Comitis frater, qui in principatum ſucceſſerat, nulla à Theoderico ſobole relicta, juvante Godefrido, (tametſi huic ſoli decus omne Hermannus Contractus tribuat) fratris, quum ſupereſſet, ſocietati innexo, præſidia hoſtium Hollandia exturbavit: plurimum indignantibus Epiſcopis, magis Lotharingum initi cum Theoderico fœderis, quam petitæ nuper à Cæſare veniæ memorem, auxilia hoſti tuliſſe. Igitur converſo itinere Godefridum revertentem adepti, tanta clade afficiunt, ut vix ipſe cum paucis fuga ſalutem adſequeretur. Sed Florentio ſuprema fratris curarum prima fuere, cujus corpus Egmondæ majorum tumulo conditum. Dein verſo ad matrimonium animo, Hermanni Saxoniæ Ducis filiam Gertrudim penatibus inducit, ex qua nati Theodericus, Florentius, Albertus, Petrus & Machtildis. Ex quis filiorum minores ternos Leodicenſis fuiſſe Eccleſiæ Canonicos, & Machtildim, poſtea Bertam nuncupatam, Philippo Gallorum Regi nupſiſſe ferunt, paci inter illum ac Robertum Friſium ſanciendæ. Sed enim quatenus Egmondani Annales geminam ſequioris ſexus ſobolem Comiti fuiſſe ajunt, fortaſſis Berta & Machtildis diverſæ fuerint. At Cæſar interfecto Theoderico, quem maxime timere viſus fuerat, fœdere cum Anglorum Danorumque Regibus icto, adverſus Balduinum Flandriæ Comitem proficiſcitur. Qui imminentis belli metu, & Godefridi exemplo inductus, obſidibus precibusque pacem redemit: & elapſo quadriennio (is

 ſæculi

Digitized by Google

CIↃ LIII. ſæculi hujus tertius poſt quinquageſimum annus erat) rupta jurisjurandi religione, cum Balduino filio Lotharingiam inrumpit. Turlinum ipſe, filius Hoyam occupat. Et quaſi non ſatis offenſo Cæſare, Robertum, filiorum minimum, Walachriam invadere jubet, quam falſo ante Flandris ademtam refert Meierus. Iuvenis ad arma fervidus, & prudens ſupra ætatem, prius Walachriam ſubigit, quam Hollandi convenirent. Cauſam bello fuiſſe arbitror, quod Comes neglecto fratris exemplo, arma cum Balduino ad fatigandum Cæſarem non junxiſſet. Sed Florentius accepto cladis nuncio, & aperte hoſtilia Flandrum ſumpſiſſe, conſilia recuperandi amiſſa occulte volvebat. Et quia Cæſarem jam jam Flandris ſuperventurum nuntiabatur, ultionem in adventū ejus differre ſtatuit. Quarto & quin-
CIↃ LIV. quageſimo anno movit Cæſar, cui obviam profectus Comes, junctiſq; viribus Flandriā Tornaco tenus populantur. Vrbem fœderatus Balduino Lambertus, Lovanienſium Comes, non degeneris animi, cuſtodiebat: poſtulataque deditione, nihil non adverſum hoſtes pro ſalute, pro oppido, tentaturum reſpondit. Et, quamvis graviſſimam; oppugnationem ad tempus ſuſtinuit, donec ad ultimum multitudine victus oppidum ſimul & vitam amitteret. Conciſum quicquid in armis erat, & præda divite potitus miles, eodem impetu reliquam Flandriam vaſtando peragravit. Nec Walachriam tunc receptam dubito, etſi nihil ea de re Meierus, aut ſcriptorum cæteri. Etenim conſternatus belli mole Balduinus, imperii ſui, quæ in orientem vergebant, hoſtium iræ & arbitrio permiſerat. Ingens ex eo apud Cæſarem Florentius, ſed gratia non ultra biennium duravit.
CIↃ LVI. Quippe defuncto tunc Henrico, ſucceſſit filius parentis vocabulo, ætatis ſextum annum agens. Vnde impar imperio tutores accepit, qui mox conventum Coloniæ Agrippinæ egerunt. Eodem admiſſus Balduinus pacem, ac beneficio Cæſaris Walachriam ipſe, filius ejus Tornacum, recepere: dum tutores

vete-

veteris cum Theoderico inimicitiæ, quam recentium Florentii meritorum magis memores, everſas quoquomodo Hollandorum res cuperent. Ita brevi cuncta mutata, & quantum nuper gratia validus, nunc inviſus Florentius, Balduinum favore Cæſaris pollentem videbat. Potuiſſetque in levi habere converſas rerum vices, niſi totius ſimul Germaniæ in eum odia ſecuta fuiſſent. Etenim præter Colonienſium, & Leodici Antiſtites, vindictæ cupidine æſtuantem utrumque, etiam Lovanienſium Comes Henricus, & Balduinus Flander, bellum indixere. Henricum paternę cædis, Balduinum vaſtatæ ditionis ira inquietum agitabat. Neque hic hoſtium finis: excitur Geldriæ tutor Wichardus, & Hermannus Cucienſium Comes: eo continuis victoriis Hollandorum terror excreverat, ut nunquam abunde auxiliorum ad opprimendam gentem eſſe videretur. Integrum biennium belli paratibus, & ſpargendo terrori datum; cui nova quoque incrementa ex prodigiis, adeo ut trepidum in Hollandia vulgus, nullum laboribus ſuis finem, reſurgere ſemper victos, & fatum ſuum paſſim miſeraretur. Comes, tametſi intelligens periculi, nec animo ipſe ſatis firmato, tamen noviſſimis victoriis, & priſtina Batavorum, & recenti virtute memorandis, languentes firmare haud omittebat. *Sæpe iiſdem cum hoſtibus, nec improſpere certatum eſſe. Cur immenſam multitudinem, cur agmina neminis imperio apte regenda paveſcerent? Manere adhuc juſtitiam cauſæ, manere eundem arbitrum Deum, retinerent tantum animos, ſeque Theoderici fratris veſtigia prementem ſequerentur.* Erecto Principe, facile ſubditis ſpes animique rediere. Iamque certatim militiam omnes capeſſebant, quando, quod anno fuit duodeſexageſimo, junctas hoſtium copias, motaq; caſtra primi talium nuncii ruricolæ adferebant. CIↃ LVIII Florentius habito delectu, evocat auxilia Friſiorum; quos primus ille addictos ſibi, & nunc promtiores ob commune, ut reor, periculum expertus eſt. Proviſis omnibus Dordrechtum ipſe contendit, coactiſque ibi Patri-

 bus,

Digitized by Google

bus, quid in rem maxime videretur conſulit. Pars aciem, alii trahendum bellum, nec temere omnia in caſum danda aſſerebant. Erat eodem in ordine provecta vir ætate, inſignis prudentia, & belli artibus; qui utroque palam conſilio damnato, poſtquam à Comite ſententiam rogatus erat: *Cæteris fortaſſe*, inquit, *conſilium meum improbabitur, & imprimis juventuti, cui honeſta quæ periculoſa, tuta ignavis decora æſtimantur. Sed non eo omittam utilia, & ſi apud vos valeant, publico profutura diſſerere. Nam mihi ita videtur, ſat gloriæ in utilitate patriæ quomodocumque partæ eſſe. Sæpe periculorum cupidos pericula hauſere: & ſi fortuna annuat, ſolus horror ad memoriam diſcriminis quod ſubieris, temeritatem priorem ſatis arguit. Specioſe certe nonnulli moras necti, & trahi bellum ſuadent. Sed enim præterquam quod vitando hoſtium augentur animi, unde nobis fruges, unde alimenta, cum illi agros, arva vaſtabunt, urentque? Quis calamitatum finis erit? Talibus conſiliis opus eſt, ut nec temeritatis nos, nec præpoſteræ moræ aut contationis pœnitere poſſit. Sedem belli hanc nos urbem delegimus, quo haud dubie hoſtes mox venturi ſunt. Itaque, ſuadeo egeſtis late campis foſſæ ducantur, & primum perticis, mox ſtramine & humo ita inæquentur, ut cavata à ſolidis diſcernere hoſtis ignarus, ſimul accurrerit, præceps in eas ruat.* Magno cum adſenſu auditus ſenex, nec dubitatum à quoquam quin utiliſſima ſuaderet. Igitur ſine mora cœptum opus, tanto omnium fervore, ut exiguum intra tempus perficeretur. Illud vero ſingularis in Principem fidei argumentum fuit, quod in tanta laborantium multitudine, neminem præmii ſpes ad prodendum hoſtibus dolum illexerit. Nec multo poſt illi adfuere, & omni pene meridionali Hollandia pervaſtata, ut urbe ſe ſuosque Comitem coërcere vident, formidinem & ignaviam increpantes urbi propinquant. Et jam ſuffoſſa omnis multitudo ſupergradiebatur, tolerantibus primum tignis, dum margine campi ſuſtinebantur. Vt longius provecti, oneratæ immenſo pondere perticæ ceſſere, ſimul præcipites lapſi equi virique miſerabili ſpecie, cuncta clamoribus, & confuſo ſtrepitu com-

complebant. Duces inopino caſu, nec quid pro re foret ſatis intelligentes, hortari ac monere ſuos. Sed nihil imperiis relictum erat, quando vix ſalutis ſpes, adeo non victoriæ reſtabat. Florentius ut turbata cuncta, & fluctuantem multitudinem ex oppido conſpexit, pugna conſilium eripiendum ratus, educit ſuos. Vix prœlio opus erat: ſua formidine hoſtes victi, & qua ſalutis ſpes oſtendebatur certatim effuſo curſu ruunt. Moxque immiſſus eques pleroſque trucidavit. Epiſcopi elapſi: multi illuſtres dignitate capti, & in his Geldriæ tutor Wichardus, & Henricus Lovanienſis. Balduinus Flandriæ Comes ipſe non adfuit, dubium quid cauſatus: auxilia tamen maxima miſerat. Inter peremptos Hannoniæ Comitem nonnulli memorant, fide parum bona, cum feminæ per id tempus illa gens paruerit. Sed quis exercituum numerus, quanta occiſorum multitudo fuerit, ob vetuſtatem vix firmaverim. Hollandorum ſcriptores plerique quadraginta millia occidioni data tradiderunt, exemtis ſex & viginti millibus, quos foſſæ hauſerint. Principum captivi bis mille marcis argenti libertatem quiſque redemere. Dies victoriæ duodecimus Iunii celebratur. Crevitque ex eo apud cæteros Hollandorum terror. Soli Antiſtites nec fracti clade ſuorum, nec perculſi, bellum renovabant, vocatiſque ſociis, non virtute, ſed dolo ereptam ſibi victoriam, quo facilius perſuaderent, jactantes, non tamen impellere quemquam potuere, ut improſpere toties expertam Hollandorum virtutem laceſſerent: præter ſolum Cuicenſem & Lovanienſem, quorum hic auxilia miſit, ille ipſe adduxit. Tertia poſt priorem cladem æſtate (annus ſæculi undecimi ſupra ſexageſimum primus erat) Hol- CIↃ LXI. landiam auſtralem, quæ maxime irruptionibus patebat, invaſerunt. Comes paratis in eorum adventum copiis, protinus in occurſum pergit, certus aperto Marte & patentibus campis dimicare. Cæterum nec vinci ſolitis adverſum victores

ſat conſtantiæ, nec procul excitus miles aliena eo calore impetebat, qua propria Hollandi tutabantur. Itaque tandem ceſſere, continenter inſectante Comite, donec Hollandia exacti eſſent. Hemertum uſque (pagus Hueſda haud multum diſtat) progreſſus, & cædendis hoſtibus fatigatus, umbroſam ſalicem reficiendo corpori contra Solis æſtum delegerat, nihil jam hoſtile metuens. Exemplum Principis miles imitatus paſſim projectis armis diſcubuit, non ſtationibus, non excubiis ad fortuita caſuum diſpoſitis. Omnes per herbam ſtrati, & gravi ſomno ſopiti jacuere. Quæ inter Cuicenſis otium, & nova Lotharingorum auxilia nactus, ſtatim regreditur, oppreſſumque ſomno Florentium interficit. Editaque ingens ſimul ſtrages fuiſſet, ni correptis armis Dordrechtani in ſe hoſtium agmen vertere vires adegiſſent. Itur in prœlium, quod diu anceps, tandem ſecundum illis, interemtoque Cuicenſi non inulta Comitis mors fuit. Qui XIV Kal. Iulii fatalem diem, annos principatus tredecim habuit: cadaver magno Patrum, nec minore populi luctu majorum ſepulchro impoſitum eſt.

FINIS LIBRI PRIMI.

Digitized by Google

MATTHÆI VOSSII

ANNALIVM HOLLANDIÆ ZELANDIÆQVE

LIBER SECVNDVS.

EXtincto Florentio, transfertur principatus in filium THEODERICVM, ejus vocabuli quintum Comitem Hollandorum, & adhuc impuberem. Vnde cura publici Patrum conſenſu Gertrudi matri delata, quæ excelſa animi, & prudens, nihil femineum præter ſexum habebat, familiari tunc Saxonicæ gentis laude, unde orta erat. Debuitque Hollandia prudentiæ illius biennii quietem, non domi turbis, non foris ab hoſte interpellatam: quod beneficium majus, quanto plures hoſtes vicinos, & vindictam auſuros, ſola ſui opinione & fama in officio continuit. Primi arma Flandri reſumſere, duce Roberto, ſecundo Balduini Comitis filio: qui animi magnitudine privatum egreſſus, & fruſtra aliis regionibus tentata fortuna, Hollandorum imperium meditabatur; ſubdente ſtimulos patre, & quæcumque occupaſſet propria habiturum pollicito: quod ægre latum majori Comitis filio Balduino. Etenim ferocem ingenio, & inviſum, procul terris ſuis agitare cupiens, nunc conterminam ditionem, bellicoſum populum, & Flandris parem, peti anxius reputabat. Vtque timori novæ ſemper ſuſpiciones incrementa dare ſolitæ, ſenem parentem,

& ſi

& ſi finiret, forſan Robertum, favore vulgi, & fiducia exercituum ſummam rerum invaſurum cogitans, unum id vovebat, ut Hollandorum virtuti procumberet. Sed Gertrudis, poſtquam arma ab Roberto parari certum fuit, nihil commota, cogit ſuos, præſidiiſque diſpoſitis, imperii limites ipſa valida cum manu inſedit. Neque Robertus cunctabatur, improba imperii ſpe, & patris ſenio ſtimulante; quo extincto, nihil à ſuſpicaci fratre ſubſidii exſpectandum prævidebat. Igitur mox contracto milite, Hollandiam ingreſſus, prædando omnia percurrit, donec obviâ Gertrudi, conſerere manus adegit neceſſitas. Acriter dimicatum eſt, & ambiguo diu Marte. Tandem impulſi Flandri terga verterunt. Dubium quantam cladem paſſi, cum prætereat Aſchafnaburgenſis, qui ſolus prœlii hujus meminit. Ne gravem fuiſſe credam, obſtat quod non multo poſt cum eodem hoſte ſecundo certatum ſciam: & quod nemo miretur, eodem eventu. Feſſus adverſis Robertus, vitare incerta prœliorum, ac cunctando fatigare Hollandos ſtatuit: & ne timorem miles interpretaretur, ac langueſceret, velitationibus identidem experiri ſuorum animos, aſſultare caſtris, invadere, aut invadente hoſte reſiſtere; exitu ſubinde proſpero, plerumque infelici. At Patres ut nullis detrimentis frangi pervicaciam Roberti, immotumque ei vident Hollandiæ potiri, vel mortem inter arma oppetere: novum bello remedium invenere, ut Flandro conjux Gertrudis daretur. Et quia nec invitæ obtrudi maritus, nec illa adverſis Patribus dum filiorum tutelam gereret, contrahere matrimonium poterat, rogatur velletne connubio extinguere publicum incendium. Vbi adſenſit, mittuntur ad Robertum legati, pacem & conditiones laturi: quo ad parentem rei arbitrium rejiciente, Balduinus convocatis Aldenardam proceribus, ſententias exquirit, ipſe haud dubie ad oblata pronus. Cæteris placuit; unus Balduinus, filiorum Comitis provectiſſimus ætate, averſabatur.

Quippe

Digitized by Google

Quippe manebant priores metus, nec inquietum juvenem, extincto parente, ab injuriis in ſe temperaturum credebat; augente ſuſpicionem ira Roberti. Nam Balduinus nuper Flandrorum ſtudia avertere ab eo adniſus, non aliud effecerat, quam ut infenſi dicta factaque illius Roberto aperirent. Parens filii timorem manifeſte conjectans, & Roberto utilia ægre omiſſurus, ſollicitum aggreditur. *Advertere ſe*, ait, *quam à præſentibus horreret, non invidia fratris, aut quod privatum illum, ſed procul à ditione ſua agitare vellet. Neque formidinem ejus vanitatis arguere: quin ut tranquillitati ejus conſuleret, jam ante ad longinquas oras, bellaque remota Robertum ablegaſſe. Nunc quando invida illic fortuna ſucceſſus negaverit, in Hollandos tranſgreſſum; potuiſſeque eventum parem ſperari, ni hoſtes Principem illum ſibi quam adverſarium maluiſſent. Itaque miſſos quamvis à victoribus legatos, qui ſuam voluntatem exquirerent. Manere ſibi paternum animum, manere curam filii, quem ſucceſſorem ditionum ſuarum exſpectaret: proin referret animum ad firmitudinem, cum fiducia nihil à parente noxium ſibi eventurum.* Quæ inter Robertus ipſe Aldenardam venit, præſens voluntatem patris exquiſiturus: forſan & diffidentia adverſus fratrem, cujus animum ſæpe alias expertum ne nunc quidem conſiliis ſuis æquum ſuſpicari poterat. Eo protinus admoto, Balduinus, Patribus coram: *Præclaræ*, inquit, *virtutis experimenta fili dediſti, ut licet clade non una affectum Hollandi ultro ambiant, egregii certè fortitudinis tuæ æſtimatores. Ego vero uti dignam majoribus ſobolem eſſe mihi gratulor, ita vel maxime illud in te probo, quod cum per ætatem conjugium contrahere, & bellum, tuo permiſſum arbitrio, ſponte tua finire poſſes, omnia tamen paterno judicio poſthabueris. Meritus es non modo ne votis tuis adverſarer, ſed & ne indotatum te torum conjugis ingredi permitterem. Quippe univerſam tibi Flandriam devinxiſti, dum affinitate nobis bellicoſam Hollandorum gentem jungens, pro diuturno bello pacem duraturam reddis. Antea Hollandorum ditionem præmium laboris vincenti conceſſeram; nunc & ego, & frater tuus, & proceres Flandrorum, Zelandicas cis Scaldim inſulas, quas nobis ademtas Hollandi*

tenent, Aloſtanam ditionem, & quatuor officiorum terram donatione tuam facimus: id unum poſcentes, ut his contentus, ubi me ex humanis rebus Numen evocaverit, fratri pacatam, quantum ad te, poſſeſſionem imperii ſui relinquas. Agite concordes, ut & qui natura arcte adeo vos junctos neſciunt, ex animis ſolis, & mutua fide conjectent. In hæc à te jusjurandum omnes poſcimus, ut vinculorum cæteris religio quoque accedat. Etenim quo facilius in hoſtilia contermina gentes prolabuntur, eo pluribus munimentis concordia firmanda eſt: cui nulla unquam firmamenta nimia fuere. Robertus quanquam fratri maxime in his gratificatum parentem advertebat, id unum metuens ne intelligere viſus ſuſpiciones provocaret, paruit, dictoque jurejurando è veſtigio in Hollandiam reverſus Gertrudi jungitur: ubi mox Patrum decreto Florentii liberis, & publicæ rei impoſitus. Friſii cognomentum accepit, non ob gentem debellatam, ut plerique tradidere; ſed quia Hollandiam conjugis dotem adeptus, quæ tunc tota pene
CIↃLXIV. Friſiæ vocabulum uſurpabat. Quæ dum in Hollandia geruntur, Guilhelmus Trajectinus, obveniſſe caſum exiſtimans ditioni ſuæ avulſa recuperandi, dum Comes ſub tutela Roberti adoleſceret, Henricum, eo nomine quartum Cæſarem, aſſiduis precibus fatigabat, ut ademtam Eccleſiæ Martini Merwedam, dein Bodengraviam & Suamerdamum, per tabulas ab Hollandis reddi juberet. Diligebat Antiſtitem Cæſar, expertæ adverſum ſe fidei: & ſimul Fredericus, Godefridus ac Gerardus Lotharingorum Duces, ut deſideriis obſequeretur, rogabant. Igitur frequenti Procerum in conventu conſignat tabulas, quis ſuper mandata ut erepta Comes redderet, jus in univerſam Hollandiam Epiſcopo concedebat. Sed nomen terræ nunc latius diffuſum, ſolam tunc partem complectebatur, quam hodie à ſitu meridionalem Hollandiam nuncupamus, teſtantibus id ipſis Henrici tabulis: quas temere nonnulli ut confictas traducunt, dum temporum diſcrimine non obſervato, univerſam quę his temporibus Hollandiæ vocabulo continetur ditionem deſignari,

Digitized by Google

ſignari, idque prorſus abſurdum, exiſtimant. Iis tabulis Trajectum tranſmiſſis, Guilielmus differre arma ſtatuit in adventum auxiliorum ab Cæſare, & donec vetera odiorum vicinos principes in Hollandos concitarent. Ipſe iniquas ſpes non modo ad aſſignatam tabulis ditionem, ſed cæteram quoque Hollandiam extenderat, ut pulſa Comitum ſtirpe, in ſe principatum traheret. Interea apud Flandros extincto pridem Balduino, cognominis filius ſucceſſerat, qui anno poſt milleſimum ſeptuageſimo fato ſuo functus Arnoldum & Balduinum filios, his tutorem Robertum reliquerat. Sed mater Richildis, Hannoniæ eadem Comes, femina dominationis avida, affinis auctoritate ſuum minui faſtigium, & quoquomodo cum regimine arcendum rata, ſimul Gandavum veniſſe intellexit, acribus adeo in eum verbis invecta eſt, ut protinus Robertus, ira æſtuans Hollandiam repeteret. Tum è nobilitate illi addictiores capitis ſupplicio, aut exilio mulctat; Aloſtum, Walachriam, & terram quatuor officiorum, à Balduino Pio donatam Roberto, fiſco adſcribit, tanquam egreſſus juramenti limites, ſimul jus in eaſdem amiſiſſet. Non tulerunt impotentiam mulieris Flandri, & nobilium plerique precibus, hortamentis, perpulere Robertum ſuſcipere bellum, & improbe præreptam cognatorum tutelam extorquere. Igitur collecto ex Hollandis exercitu in Flandriam vadit. Nec multo poſt Richildis Flandrorum Hannoniorumque & Gallorum quos arceſſiverat ingenti manu occurrit. Acriter dimicatum eſt, & Flandrorum multi, ſed præcipue Galli cecidere. Victor Robertus Gandavum ingreſſus, ſumma omnium voluntate excipitur. At Flandri, qui dubio hactenus animo inter utramque partem nutaverant, ut ſuccubuiſſe Richildim allatum eſt, in diverſa abiere. In occaſum vergentes, & Gallis propiores in verba Richildis jurant: cæteri, qui, orientem ſpectantes, Hollandis viciniora colunt, uno omnes conſenſu Roberto tutelam principis, & publici curam tradunt. Quem contra Ri-

CIↃLXX.

childis, poſtulatis ab Gallorum Rege Philippo auxiliis, repulſam paſſa eſt, prono in Robertum Rege. Illa nihil mota bellum ſummo ſtudio parans in ſequentem annum diſtulit. Medio tempore mota Trajectinorum arma, auctore Wilhelmo Antiſtite, qui opportunum ſibi exiſtimans, Robertum Flandria attineri, à Cæſare per legatos promiſſa nuper auxilia flagitabat. Neque illum propriæ res militem dimittere, nec caritas Epiſcopi, quem ex reliquis omnibus unum probabat, abnuere patiebantur. Etenim Hermannus, Gertrudis Comitis parens, & Saxonum reliqui Duces, jam fere ditione ſua Cæſarem exturbarant. Prævaluit tamen amor Antiſtitis, & auxilia miſit: promtius arbitror, quod potitum Flandria Robertum, in ſoceri gratiam turbas daturum vereretur. Sed exigua hæc manus erat ſubjugandæ Hollandiæ, adeo ut Wilhelmus parum fretus armis ſuis, Lotharingiæ Ducem Godefridum, cui vitium corporis Gibboſi nomen dederat, evocaret, Hollandorum imperium donec viveret promittens. Simul terna millia ab Richildi adfuere, quæ quanto gravior in Hollandia moles, facilius ceſſurum Flandria Robertum credebat. Igitur Godefridus Trajectum veniens,
CIↃLXXI anno poſt ſæculum decimum primo & ſeptuageſimo, Hollandiam ingreditur. Quod ubi Roberto auditum, hortatus Flandros in fide ut permanerent, & ſpe reditus facta poſtquam profligatum bellum foret, in Hollandiam contendit: quam Leida tenus Godefridus jam ſubjecerat. Acceſſu ejus firmati animi, ut quamvis hoſtium progreſſu perculſi, prœlium tamen auderent. Sed vicit Godefridus: & Robertus majore in Richildim ira, quam ut differre ultionem poſſet, tum alieni imperii jacturam facilius tolerans, cum uxore, privignis, & communibus liberis Gandavum proficiſcitur, relictis ſine Principe Hollandis, qui paulo poſt Godefridi imperia accepere. Proavorum noſtrorum memoria Reinerus Snoiius, Hollandicarum rerum ſcriptor, tutelæ habendæ mota à Godefrido arma prodidit, &
Rober-

Digitized by Google

Robertum quoſdam Hollandorum in conſcientia cum Godefrido ſuſpectantem, ulterius ſe ſubditorum fidei credere non auſum, profugiſſe. Quod nulli veterum aut recentiorum traditum, non ſine cauſa ſuſpectum me habere arbitror. Sed Richildis inquies, ubi primas ſpes irritas, nec ſibi ſatis virium pellendo Roberto videt, Pariſiorum Epiſcopum Godefridum, ejusque fratrem Euſtathium Comitem Bononienſem ingenti pecunię vi emercatur, ut Gallorū Regi, cujus in animo validi erant, perſuaderent, intereſſe ejus, ne Flandria Robertus potiretur. Neque Rex, plerumque utilia ſuadere ſolitis, gravate aures præbuit, ingenito inſuper juventuti, ad fervida, ſi modo juſtus obtentus adſit, facile inclinare. Igitur tumultuaria manu Flandriæ fines intrat. Robertus Hollandis, quos fugæ Comites habuerat, & Flandrorum copiis aſſumtis, haud procul Caſſeto tumulum inſedit, Regem exſpectaturus: quem adventantem & imparatum, priuſquam arma capere Galli poſſent, repente invadit. Primi Hannonii ceſſere, ipſaque Richildis capitur. Adverſum Gallos acrius certamen erat, donec validiſſimorum globo cinctus Robertus, impulit reſiſtentes, & dum intolerantius perſequitur, circumventus in Bononienſis Comitis manus delapſus eſt. Ita utrimque partium duces capti. Robertum Bononienſis Wilhelmo Rabello Audomarenſium præfecto tradidit; qui ſubditis deſiderio Principis hortantibus, eum dimiſit libertatem Richildi pactus. Mox utrimque bellum reparatur. Sed Philippus Rex infenſus Wilhelmo ob ſolutum Robertum, quicum bellum cecidiſſe credebat, Audomarum noctu invadit, ſpoliat, & incendit. Contra Hannonii recepta Principe læti, & fere ut victores agitabant. CIↃ Inſequente anno, qui ſecundus & ſe- LXXII. ptuageſimus numerabatur, Philippus iterum in Robertum movet. At ille diffiſus viribus, nec apertum Martem auſus, præſidium à dolis mutuatur. Itaque primo formidinem ſimulare, cedere urgenti, tum rurſus firmandis ſuorum animis reſiſtere,

aut laceſſere hoſtem, & moras nectere priuſquam ad prœlium ſummum veniretur. Ea ubi proſpere cedunt, & elati fiducia Galli contemnere hoſtem cœpere, improviſus caſtra Regis irrumpit, & cuncti trepidantes, pars arma, alii fugam parant. Rex ipſe confuſa omnia, nec quid pro tempore foret videns, terga dat. Quanto facilius parta victoria, funeſtior hoſti fuit. Guilhelmus Osbernus, nuper Richildi matrimonio junctus, & Flandrorum Comes Arnulphus cecidere. Euſtathius Bononienſis, à quo ante Robertus captus, nunc ipſe in manus venit. Duo & viginti Gallorum Hannoniorumque millia cæſa, ſi Meiero fides, auctores nonnulli tradidere. Rex duplici clade affectus: nec fractus animo, reparat vires. Cæterum Godefridus cura fratris captivi, ſecreto tentat Robertum, an vinculis exſolvere eum velit. Et poſtquam is non id modo, verum majora quoque pollicetur, ſi copias Flandrorum finibus Rex deduceret, Philippum appellans, *Nequaquam*, inquit, *Rex, conſultum tibi in Flandris agitare. Stat paratus itineri Saxoniæ Dux Hermannus, cum valido exercitu, jam pridem à genero ad auxilium vocatus. Nec meum memorare virtutem gentis, quam fortiſſimus Imperator Henricus ſuo damno, & adhuc experitur. Vniuſne mulieris faſtigium tibi tot periculorum pretium eſt? Robertus an Balduinus Flandrorum potiatur, quid Gallorum intereſt? Quin potius habenti relinque imperium: id ſtabile fidei vinculum, quod jurejurando ſancire paratum illum pro comperto habeo.* Rex vera ratus quæ diſſerebantur, & Saxones, terribile iſtis temporibus atque invictum nomen, pertimeſcens, haud gravate adſenſit. Ita Roberto quies, & Flandriæ Imperium manſit; indignante Richildi, quæ ſpe apud Gallum vaneſcente, preces Henrico Cæſari ſuſcipit, ut per injuriam & vim expulſæ ſubveniret. Sed ille ubi conciliatum Gallo Robertum allatum eſt, abſtinuit. Apud Hollandos interea Gibboſus Godefridus firmato principatu, detrectantes jugum Friſios armis domuerat. Quâ expeditione remeantem Alcmariæ conſediſſe ſcriptores quidam

Digitized by Google

quidam tradidere; inſecutosque Friſios oppidum circumval-
laſſe, donec nonam poſt hebdomadẽ, octonis eorum millibus
conciſis, à Wilhelmo Antiſtite periculo eriperetur. Sed mihi
vetuſtiſſimũ quemq; fide optima hæc conſcripſiſſe reputanti,
quando ii ſiluere, id pro conficto eſt. Subactis qui cis Flevum
habitabant Friſiis, ulteriores quoque, quos conſtat etiam ante
Hollandiæ Principibus paruiſſe, bello Godefridus petit, ſub-
jugatque: & univerſo jam Hollandorum potitus imperio ad
Saxonicum bellum à Cæſare evocatur. Sed veritus ne recenti,
& necdum ſatis coalita auctoritate, jugum Hollandi exuerent,
Delforum pagum mœnibus, validoque caſtello circumvenit,
præſidii terrore gentem cohibiturus. Eadem veritus Antiſtes
Guilhelmus, Iſelmundam firmat, opportuno poſitu ad retinen-
dam Merwedam, & arcendo, ſi quid interea Flandrorum fidu-
cia auderet, Theoderico. Sic Godefridus, proviſis ante abi-
tum quæ res monebat, & commendata Antiſtiti Republica, in
Saxoniam contendit. Vbi multis præclare geſtis novum decus
adeptus eſt: quin illius maxime opera pacatos ad tempus Sa-
xones, in Annalibus reperio. Sed undecimi ſæculi anno poſt
ſeptuageſimum ſexto domum remeantem ſcelus alienum ra- CIↃ
puit. Etenim Antwerpiæ ad requiſita naturæ ſeceſſum petens, LXXVI
à quodã adacto per poſteriora, & relicto in vulnere ferro gra-
viter lęſus, Trajectũ ad Moſam devehitur, ac ſeptimo poſt die,
v Kal. Mart. exſpirat. De percuſſore ſcriptores ambigunt: alii
à Roberto immiſſum, nonnulli Giſlebertum Theoderici Co-
mitis famulum, alii ipſum Godefridi coquum vindictæ cupidi-
ne nefas auſum firmavere. Machinatorem tamen doli pleriq;
Robertum differunt. Ita finivit Godefridus, quinto imperii in
Hollandos anno, vir haud dubie ſummis ſuæ ætatis Imperato-
ribus par, major futurus, ſi vita duraſſet. Ejus morte Wilhel-
mus Antiſtes principatum capeſſit. Cæterum perinde ac ſi nu-
men majorum jure ſubnixam domum exulare diutius nollet,

paucis

Digitized by Google

paucis poſt menſibus extinctus, occaſionem Theoderico dedit paterna repetendi. Igitur convocatis Hollandorum exulibus, hortatur, ut poſt plurium annorum exilinm, natale ſolum conjugesque ſervituti eximant. Vbi promtos advertit, impetrata à Roberto vitrico ſagittariorum cohorte (quo tunc armorum genere cæteris gentibus Flandri præcellebant) ſcriptisque Zelandorum, Waſianorumque ſubſidiis, quas gentes Godefridus non tentaverat, è veſtigio in Hollandiam movet, Iſelmundam oppugnaturus priuſquam Conradus Antiſtes, qui Wilhelmo ſucceſſerat, cogere copias poſſet. Ille de apparatu Theoderici certior factus, undique ſuos, & Gerlacum Zutphanienſem Comitem evocat, ſpe præmiorum: ſimul quoque aliis ex oris arceſſiti milites; & hos inter Lotharingi; quod nemini traditum inde conjecto, quia interfuiſſe huic prælio Godefridum, & demum poſtquam victus erat interemtum, quidam memoravere. Propinquanti Iſelmundæ Comiti hoſtes occurrere, numero longe ſuperiores. Tum ille, *Quos diu deſideravimus agros, jam tandem commilitones videmus: eo majore voluptate, quod extorres & profugi tot annos egimus. Sed gaudii hic demum initia; in aſpectu conjugum, in liberum veſtrorum amplexibus, conſummabuntur; quos vobis, & ſimul imperium mihi ademerunt, quorum hic agmina adverſus vos conſtitere. Equidem fidem veſtram ſi ullis in rebus experiri optaſſem, certius tamen nequiviſſem. Relicta patria, deſertis agris, inopem & exulem Principem ſequi, quam domi felices, externum tolerare jugum maluiſtis: digni quos æternum celebret humani generis memoria, & quibus ego gratiam pro viribus referam. Sed vires illas non niſi Deus, & veſtræ dare manus poſſunt. Cauſſam habetis juſtiorem pro ſedibus, pro laribus veſtris pugnantes; ſtimulos acriores, quando victis nulla præterea patria. Hi vero nec pro occupatis & alienis vitam amittere cupient, nec cauſſæ juſtitia fidere poſſunt. Nam virtutem vos eorum æſtimare nolim, nedum metuere. Cecidit in Godefridi corpore & decus, & vis Lotharingorum. Et, qui ſolus acrius fortaſſis obſtiturus erat, auctorem belli, Antiſtitem Wilhelmum*

Digitized by Google

mum, diutius incubare alienis Deus noluit. Ille me, ille vos ad recuperandum vocat, quibus jam diu per vim injuſtam caremus: vos modo oſtendite, non plus animi vobis in tolerandis adverſis, quam conſtantiæ in petenda felicitate, & defendenda juſtitia eſſe: denique hoc titulis veſtris accedat, eaſdem manus Roberto in Flandros, Comiti in ſuos imperium peperiſſe. Contra Trajectinus, *cum illis certamen fore, quos Wilhelmi ductu ſedibus expuliſſent,* ſuos admonebat: *Ducem illis, non animum mutatum. Fiderent priſtinæ virtuti, viſuros quantum inter acrem Roberti mentem, exercitamque militiam, & rudem hujus adoleſcentiam diſcriminis foret.* Simul hæc ſignum ſuis dat. Procurrunt quoque Hollandi ſpei pleni: & in vario certamine nunc his, nunc illis nutantibus, utrimque duces ſua munia implebant. Tandem fit fuga à Trajectinis, & plerique abjectis armis caſtra effuſo curſu repetunt, inſequente Theoderico, qui multos trucidavit: multi dum ſtantes in Moſa cymbas certatim oneraverunt, pondere ſimul ſeque & illas everterunt. Gerlacus Zutphanienſium Comes interficitur. Epiſcopus cum parte copiarum Iſelmundæ ſalutem ſuam credidit, quod caſtellum Iſalæ ripam prætexit, ubi in Moſam is amnis effunditur: & naturam ars adæquaverat validiſſimis munitionibus: nullius neceſſariæ rei indigum, viri, arma, annona, cætera tolerandis oppugnationibus proviſa erant, & quamvis defuiſſent, amne invehi poterant. Comes inſiſtendum victoriæ ratus, confeſtim caſtris, quatenus per ingenium loci licebat, caſtellum circumvenit, & ſine mora admoveri ſcalas, ſubrui muros, ac propugnatores eminus à ſagittariis vallo deturbari jubet. Ita per dies aliquot acerrima oppugnatio fuit. Epiſcopus quanto diutius claudebatur, minus ſpei videns, miſſo ad Comitē caduceatore pacem poſtulat. Sed ille nihil audire reſpondit, niſi juris & quicquid jam olim, & quod nupera Henrici Cæſaris donatione in Hollandiam ſibi Epiſcopi arrogaſſent, palam & in perpetuum abjuraret: ſibique Florentio patri poſſeſſa reſtitueret. Epiſcopus, etſi dura hæc vi-

H deban-

Digitized by Google

debantur, neceſſitate compulſus paruit; tum permittere ſe victoris arbitrio juſſus, quamvis paciſci maluiſſet, juvenilem fervorem metuens, prodiit ex arce, & cum honore à Theoderico exceptus, libertatem gratis recepit. Iſelmundanum caſtellum, ne novis quondam conatibus cauſſam vel materiem præberet, everſum eſt. Rebus proſpere geſtis, debellatoq; hoſte, in Hollandiam veniens Theodericus, fauſtis omnium acclamationibus excipitur, & paterno imperio recepto, tunc primum Hollandiæ Comitem ſe ſcripſit, nō uſurpato à majoribus titulo ob perpetuas cū Epiſcopis ſuper Merweda cōtroverſias. Quippe Friſiæ ante Comites nuncupati, quæ Merweda tenus extendebatur. At poſtquā renunciavit juri ſuo Antiſtes, Hollandia, quæ eadē ac Merweda, niſi quod paullo latius illa patuerat, auctus, ſimul quoq; titulum adjecit. Nos tamen exemplo reliquorum ſcriptorum, jam ante hæc tempora Hollandiæ Comites eos appellavimus, & Friſios illos ſolum, qui ad Septentrionem nunc Hollandiam colunt. Quos adverſum exeunte hoc anno profectus Comes, ingenti prœlio vicit, quatuor hoſtiū millibus cæſis: & mox reſumto prælio ſena eorundē millia virtute Theoderici interemta. Neq; enim Meinardo Henrici credere libet, qui priore prœlio millia quadraginta, poſteriore ſexagena occubuiſſe retulit: quem numerū ne quidem ex omni illa Friſia conficere fuiſſet, quamvis à Tranſlavicanis auxilia mitterentur. Duobus prœliis eodē, ut Annales volunt, die victor Comes, tanta in Friſios ira graſſatus eſt, ut immenſa multitudine, eorum qui arma ferre poterant, trucidata, feminas, pueros, ſine diſcrimine ſexus, modo annum ætatis duodecimum egreſſi eſſent, in captivitatē
CIↃ LXXVII. abduceret. Principio inſequentis anni, primus, quantum ex Annalibus colligitur, omniū Hollandiæ Comitum, Flevū trajecit, & Staveram, gentis Friſiorum Transflevanæ caput, tres hebdomades vi tanta oppugnavit, ut oppidani, abjecta ſpe defenſionis, urbem dederent, bona ſua ſibi pacti, & pro rebellione bis mille

mille quingentis coronatis aureis Comiti promiſſis. De ſolutione quadraginta obſidibus cautũ eſt. Mercenarius miles pactis excluſus, quos omnes civitatem ingreſſus Comes capite mulctavit. Profectus inde omnem Friſiorũ agrum Lavicâ tenus devaſtavit. Quippe Staveranorum exemplum extorquendæ minoribus oppidulis deditioni ſufficiebat. Ita maximis rebus geſtis domum Comes rediit, & haud multo poſt inducta penatibus Othelhilda, Ludolfi Saxoniæ Marchionis filia, Egberti matertera, prolem utriuſq; ſexus geminam ſuſtulit. Vni Florentio nomen erat, alteram Machtildim Aurelianenſium Duci nuptam ferunt. Egbertus Saxo affinitatis vinculo obligatum Comitem ratus ad ferenda adverſus Cæſarem auxilia, confeſtim ſollicitare cœpit: & poſtquam perſuadere nequibat, infenſus, forſan & vocatu Friſiorum, infeſti Hollandis populi, arma in ipſum parat, Oſtergoamq; ac Weſtergoam, & omnem uſq; ad Flevum Friſiã occupat; nequaquam contra tendente Comite: certe obviam iſſe in Annalibus non reperio. Sed Cęſar indignatus Saxonũ imperium creviſſe, anno ſæculi undecimi poſt octogeſimũ ſexto, CIↃ
Trajectinorum Antiſtiti Conrado donat, quæcumq; occupaverat Egbertus: qui vim precibus prævenit, rogataque delicti venia, obtinuit à Cæſare, ut poſſeſſa retineret. Cæterum fœdere Saxonibus junctum nulla cohibuerunt pacta, quin hoſtilia reſumeret. Quare tertio poſt anno eidem Conrado Friſiã Cæſar CIↃ LXXXVI.
conceſſit, diſertim prohibito in tabulis (quæ Wormatiæ conſignaverat) ne quis ſucceſſorum donationem irritam faceret. Simul data Epiſcopis materies armorum adverſus Hollandos: quã, poſtquam ſublatis de Merweda contentionibus æterna inter utramque gentem concordia firmata videbatur, flagranter deſiderabant. Cæterum quomodo bellum eruperit in contextu operis reddemus. Neque enim adverſum eos ulla Theoderico moles fuit, cui ad extremum uſque tranquillæ res, nec poſt Egbertum hoſtem alium habuit. Quieſcebant Flandri affinitate LXXXIX.

 innexi,

innexi, imprimis dum ipſi bello Hollandi abſtinerent, quis cauſſam alioqui ſat juſtam dabat, retenta à Roberto Walachria. Ne Lotharingi quidem Ducis fatum, aut clades ſuas Cæſar ultum ivit. Sed felicitatem Reipublicæ haud multo poſt turbavit finis
CIↃ XCI. Theoderici, qui quintodecimo anno poſt receptum imperium, triceſimo ſi Roberti tutoris, & Godefridi Gibboſi tempora accenſeantur, humanis rebus exemtus eſt. Cadaver Egmundæ in majorum tumulo requieſcit. Succeſſit jure ſuo filius FLORENTIVS, cui obeſum corpus Craſſi addidit vocabulum, puerilibus adhuc annis. Vnde Othelhildim matrem, aut patruum, ſi quis ſupererat, regiminis cura functũ crediderim. Primordio principatus, ut conjecto, quando talia tempora novis motibus maximè obnoxia, Egmundani & Caſtrichemenſes in odia & diſcordias prolapſi. Cauſſa penes tempeſtates: quarum violentia ſuperfuſus aggeribus Oceanus, quæ maxime Hollandiæ humilia Caſtrichemum Egmundamque interjacent, fluctibus obruerat. Egmundani, cæteris circum editioribus, ſi nova procella ingrueret, exitium ſibi metuentes, molem excitant; cujus objectu repreſſus lacus, & hyberno ſidere augeſcens, Caſtrichemenſium agros, ædiumque nonnullas texit, aut evertit. Illi ira in Egmundanos concurſu facto molem diſiiciunt. Sed oborta, haud ſine Numine, tempeſtas, (monachi impoſitis lacui Adalberti oſſibus miraculi honorem adſcribunt) Egmundanorum cervicibus noviſſimum diſcrimen depulit. Nec multo poſt agger reparatus, iterum aquarũ mole onerabatur, cum Egmundæ Abbas Adalardus foſſam duxit avertẽdo impetu. Quod poſtquam rurſus in damnum Caſtrichemenſium ceſſit, advolant armata manu, Adalardum vi prohibituri: etenim celebres opum viriumque ea tempeſtate erant. Abbas procul infeſtam turbam conſpicatus, fugam cum ſuis capeſſit, quorum nonnullos equorum celeritate inſecuti Caſtrichemenſes conciderunt: pars in manus venientes adverſariorum injuriis patuere. Sed duces

duces Caſtrichemenſium variis mox morbis, vindicante injurias Numine, extinctos eſſe, Egmundani Monachi ſcripſerunt. Quis diſcordiæ finis fuerit affirmare arduum: ſuſpicor à Comite, poſtquam maturuit illi ætas, in gratiam reductos, & lacum, ne in adjacentia erumperet, ſeptum undique aggeribus. Vxorem Florentius Petronellam, ortam Theoderico Saxoniæ Duce, & Lotharii poſtea Cæſareum faſtigium adepti ſororem, connubio ſibi junxit. Ex qua melioris ſexus Theodericum, Florentium Nigrum, & Simonem, filiam Hadwichin natam reperio, quæ Geldrorum Comiti nupſit. Hæc inter, anno duodecimi ſæculi octavo, Cæſar Henricus Flandrorum Comiti Ro- CIↃCVIII.
berto bellum indixerat, tracto in partes Hollandiæ Hannoniæque Comitibus, dum ille Walachriam, hic Flandriam, à parente ejus Roberto præreptam, recipere ſperant. Nuſquam tamen à Florentio mota arma invenio, quamvis univerſam Cæſar Flandriam vaſtaret. Vnde paratum quidem ab eo bellum, ſed inhibitos conatus arbitror prudentia & auctoritate Gertrudis: quæ avia Florentii, atque eadem Roberti Flandrorum Comitis mater, quinto poſt anno exceſſit, & Furnis in Flan- CIↃCXIII.
dria, quem locum Vicecomitis titulo poſſidebat, humata eſt. Sunt qui tranſlatam in Hollandiam, & Egmundæ mariti prioris tumulo conditam exiſtiment, nullo adducti argumento. quare non temere iis acceſſerim. Nec aviæ ultra novennium ſuper- CIↃCXXII.
ſtes Florentius, annis uno & triginta imperio geſto finivit, majorumque monumentis clauſus eſt: quos opum magnitudine anteveniſſe eum, vere haud dubie Annalium ſcriptores memorarunt: quando quatuordecim extremis parentis annis, nec ipſo vivente ullum Hollandis bellum fuit: unde promtum colligere, quinque & quadraginta annorum proventu, nihil prope expenſo, immane quantum divitias creviſſe: quas ut non avare, ſic nec profuſe habuit. Liberalitatis in pauperes eximium, & pietatis exemplum fuiſſe ferunt, quam etiam tabulæ anno

hujus ſæculi octavo Egmundanis conceſſæ teſtantur. Florentio THEODERICVS, id vocabulum ſextus, ſuccedens, & ætate impar, rectricem Patrum decreto Petronellam matrem accepit. Cujus providentia intemerata cuncta manſere, donec adoleſceret: niſi quod Egmundanorum opes impios quorundam animos ad malas artes traxere. Etenim unum id, aut certe è paucis potiſſimum Hollandorum cœnobium erat: ut illuc pene vergeret, quicquid bonorum ſacris uſibus pii viri addicebant. Igitur pauci, in animo Petronellæ validi, & divitiis inhiantes, aggrediuntur illam ut defuncto Abbate Adalardo, Egmundanis ſacellanum Aſcelinum obtruderet, quo inſperato devinctus honore, Comitis arbitrio relinqueret, quæ ad regimen cœnobii pertinebant. Nec abnuit illa, & ſimul invitis monachis cœnobio Aſcelinus impoſitus erat, ut erat vir bonus, & quocumque traheretur inclinans, ſtatim Folpertus, Algerus, ac Stephanus, conſilii auctores, cœnobii regimen, & proventus in manibus habuere. Tum vero certatim rapere ſacras opes, ſe ditare ſuoſque, & orto ex divitiis luxu convivia apparare ſumtuoſa: victum interea diurno labore miſeris monachis quærentibus; aliis, quis attrita valetudo, & emaciatum corpus vires negabant, emendicata ſtipe, vel benignitate civium precariam animam trahentibus. Ita partas longinquo tempore opes, paucorum avaritia brevi diſſipavit, imprudentia Aſcelini. Neque illi contra tendere licebat: quippe favore Petronellæ dignitatem adeptus, quicquid ſponte ejus fieret rectum aut putabat, aut habere tenebatur. Quin & ipſam fraudibus ſacrilegorum eluſam, ſcriptor Egmundanus (cujus nobis vocabulum ignarum eſt) & mox divinam in facinoroſos vindictam ſæviiſſe, omneſque intra annum præmaturo raptos exitio, prodidit. Non tamen Egmundani malorum finem habuere, priuſquam anno undetrigeſimo Hieroſolymas profecto Comite Theoderico, Andreas Trajectinus Antiſtes monachorum precibus Aſcelinū loco dimovit, & Wal-

& Walterum quendam, è Gandavenſi cœnobio accitum, Abbatem iis dedit, cujus induſtria reſtituta ſunt, quæ prioris ignavia perdiderat. Sed ad Rempublicam ut revertamur, Petronella exordio imperii, ob vexatum fratrem Lotharium, adſenſu Patrũ, Cæſari bellum indixit, vocato ad auxilium Antiſtite Trajectino. Tum juncti copias moverunt. Quod ut Henrico Cæſari nunciatum eſt, ſub principium anni, qui Chriſtianis poſt undecim ſæcula tertius & viceſimus erat, Hollandiam validis cum copiis petens, Sculenburgum (nunc, niſi me ratio fallit, Culenburgum vocatur) inter Hollandos, Trajectinos, & Geldros medium, obſidione cingit. Cætera proviſa erant præter frumentum. Petronella & Epiſcopus invalidi liberandis obſeſſis, Lotharium cum Monaſterienſi Antiſtite advocant. Vbi acceſſere, ponunt caſtra Cæſaris adverſa caſtris, prœlii aut abitus neceſſitatem allaturi. Sed Henricus dementiæ ratus omittere caput rerum, & cupido cum hoſte certare, munimentis ſuos cohibuit. Rapit inde Daventriam ſuos Lotharius, diſtrahendo Cæſari; obſeſſaque urbe, quia in celeritate omnia ſita erant, oppugnationem non diſtulit. Et jam dum undique muris ſucceditur, Monaſterienſis milites vallum ſuperaverant, moxque oppidanorum concurſu deturbati ſunt. Eadem poſtridie vis, etſi non ſpes potiundi: tamen fatigare obſeſſos nitebantur, ut ſociorum periculo motus Cæſar cœpta deſereret. Nec vana ſperaverant: quippe graveſcente indies oppugnatione mittuntur ad Henricum ex urbe legati, deditionem ni ſuccurreret jamjam faciendam nuntiantes. Cæſar quamvis brevis temporis annonam Sculenburgenſibus eſſe non ignarus, ſolvit tamen obſidionem: & Lotharius cognito per ſpeculatores abiiſſe, poſtquam frumento, militeque arcem firmavit, propere in Germaniam regreditur. Paulo poſt quoque Henricus amolitur nihil ultra ſperantem exercitum, victo quam victori ſimilior, etſi hujus præ ſe ſpeciem ferret: nec ultra biennium expeditioni ſuæ ſupervixit.

(Margin: CIↃC XXIII. — beside "tum eſt, ſub principium anni... ſæcula tertius & viceſimus erat"; CIↃCXXV — beside "ſpeciem ferret: nec ultra biennium expeditioni ſuæ ſupervixit.")

Tum

Digitized by Google

Tum ſummo omnium conſenſu Lotharius Cæſar dictus, Oſtergoam Weſtergoamque, Trajectinis ab Henrico, ut relatum, conceſſas, ſtatim Hollandis reddidit, ſororis, ut reor, caritate: ut quietiores Hollandi ſperare res potuerint, ſi plures è Saxonica domo, cui innexi erant, Imperium obtinuiſſent. Memorabilem eundem annum truculentia hiemis fecit: homines, jumenta frigore intolerabili victa & enecta jacuere. Tum altiſſime concreta humus, ut arborum radices, germina cuncta emorerentur, ne ipſis quidem arvis, adeo cuncta duraverat gelu, aratrum, nedum ſemina accipiuntibus. Hinc ſequenti
CIↃC XXVI. anno ſterilitas, & annonæ caritas tanta, ut paſſim inedia percuntibus, quibus tenuiores fortunæ aut nullæ erant, felices haberentur, quos ante acta hiems hauſerat. Principes miſeratione ſubditorum, quod unum remedium occurrebat, civium cujuſque cellis excuſſis, quantum ſupra neceſſitatem invenerant, ſoluto ære, in egentes gratis, vel parvo pretio diſtribuerunt. Qua in re maxime illuſtris Caroli Flandriæ Comitis in pauperes liberalitas fuit, qui ſuo ære conquiſito frumento, pauperibus alimenta in diem aſſignavit, adeo ut octo panum millia uno die Ipris ab eo erogata memoriæ prodiderint. Sed illum nefaria conjuratorum manus, quando minime oportuerat, miſeris eripuit. Quippe Stratenſium ſcelere Brugis in templo ad aram trucidatus eſt. Morte ejus motæ Flandrorum res, dum conjuratos univerſa nobilitas acerrime perſequitur: nec deſtitit priuſquam pœnas luiſſent. Sed manſit de ſucceſſore certamen, cœlibe Carolo extincto, & multis Flandriæ inhiantibus. Sanguine proximus Wilhelmus Iprenſis, ſed extra matrimonium genitus, præſidis nomine aſſumto imperium affectabat; Flandris nothi imperia abnuentibus. Arnulphus ſorore Caroli genitus, ut proximus hæres, Balduinus Montenſis Hannoniæ Comes, avito jure, principatum petebant. Interim & nonnulli è Flandrica nobilitate, aut patritii, Petronellam advocant, ut filio

Digitized by Google

filio Theoderico imperium poſtularet. Quo aſſumto, illa Brugas veniens, Robertum Hieroſolymitanum, ac filii ſui avum Theodericum, eadem matre Gertrudi ortos; tum & tutum utriuſque populi rebus, ſi tali vinculo connecterentur, memorans; prope perſuaſerat Flandris, ut rejectis cæteris Theodericum Principem proclamarent: ſed Iprenſis illum ſummæ ſpei adeo propinquum videns, per Someringos equites conſilia Patrum turbavit: nec multo poſt Gallorum rex in Flandriam veniens, Wilhelmo Roberti Nortmannorum Ducis filio, invitis juxta Patribus, atque populo, Comitatum donat. Ergo cum parente in Hollandiam regreſſus Comes, imperium, cui jam ætate par erat, capeſſit. Prima illi arma, anno hujus ſæculi CIↃC
duodetrigeſimo, adverſus Hermannum Cuicenſium Comitem XXVIII.
parata. Cauſſam belli apud auctores nullam invenio, præter vindictæ cupidinem, quod proavum Florentium Comes Cuicenſis (forſan is hujus de quo loquimur avus fuerit) ad Hemertum trucidaſſet. Sed Hermannus priuſquam bellum erumperet, filium Andream, tunc Trajectinorum Antiſtitem, crebris monuit literis, ut ſe Theoderico reconciliaret. Qui ſuæ ſimul ditioni metuens ſi hoſtilia inciperent, quando filium ſuccurrere parenti ipſa pietas hortabatur, multum ſollicitato Comite veniam patri hac lege obtinuit, ut in S. Mariæ Inſula occiſi Florentii memoriæ cœnobium Hermannus exſtrueret. Illeque acceptam conditionem eodem anno implevit. Igitur compoſitis inde rebus, in Friſios curam Theodericus transfert. Iam pridem, regente Petronella, obſequium negaverant, & nunc reprimendæ contumaciæ occaſionem dabat ſecundi poſt tri- CIↃC
ceſimum anni acris hiems, quæ amnes, lacuſque duriſſima gla- XXXII.
cie ſolidaverat. Ingreſſo ditionem Comiti, & paſſim populanti mox ingens Friſiorum ſe exercitus objecit. Haud procul Alcmaria certatum eſt, ſed meliore fortuna Theoderici. Qui ſupervacuum ratus fugientes conſectari, ſatis habuit per duces

Digitized by Google

agros vaſtare, hominumque ingentem turbam in captivitatem trahere. Cæterum confuſi magis quam ſubjugati ea clade Friſii fuere: quos neque obſequium Comiti, neque obſides obtuliſſe uſquam reperio. Remeantem in ſua Comitem domeſticæ curæ inceſſere. Florentius frater, ad captanda vulgi ſtudia cuncta ſua componens, & immodicus in quærendis adoleſcentium conſortiis, quibuſcum clandeſtina conventicula habebat, ſuſpicionem fecit, quaſi imperium, naturæ ordine in fratrem tranſlatum, ipſe habere mallet. Et quia non ſumtibus, non honori ſuo parcebat, quo familiares morum ſimilitudine arctius ſibi implicaret, erupturi jamjam conatus metuebantur. Sæpe à Comite, ſæpe à matre monitus, vetus inſtitutum retinebat, donec tandem à ſpeculatoribus dicta facta ſua notari animadvertens, & deprehendi metuens, ad Friſios profugit, qui diſcordiæ occaſione captata invitaſſe eum credebantur. Simul cum tranſitu occultata hactenus meditamenta prodidit. Mox dux ſalutatus, ut ſatis per ſe promtos acrius incitaret: *Hactenus*, inquit, *adverſa paſſi commilitones, non eo aut degeneres, aut imbelles magis mihi videmini, qui ad victoriam ſolum defuiſſe ducem, vel ex majorum veſtrorum admirandis rebus æſtimare poſſum. Quorum vos, digniſſima poſteritas, hac una re ſatis ingentes animos teſtamini, quod non opes, aut quæ id genus alia laſcivientibus populis expetuntur, ſed libertatem armis petitis, cujus deſiderium nullus niſi cum homine ſimul exuit. Mihi certe maxime ea ſemper placuit, in qua ſummis, imis, virtute ad altiſſima quæque niti datur. Vnde quamvis domi florentem, quamvis fratre Comite, opibus pro fortuna mea magnis ſubnixum, ad vos tranſiiſſe nullus mirabitur. Etenim quia inter tot illecebras, & ſtimulos ſuperbiæ, ita animum moderabar, ut minores me magis tanquam æqualem complecterentur, quam ſuperiorem colerent, ſtatim dominantibus inviſus, & ſuſpectus eſſe cœpi, quaſi ſervilibus blanditiis principatum, quem habere juſte nequibam, in me transferre conarer. Igitur cuſtodes & ſpeculatores habui, qui quicquid egeram, ad ſuſpicacem Principem deferrent: fami-*

familiares mei, ut nefariorum conatuum participes notabantur. Nequibam, commilitones, comitatem, cujus mihi amorem natura ipſa inſeruerat, exuere; neque illam amicis meis pernicioſam eſſe cupiebam. Itaque in veſtram ditionem transgreſſus ſum, ubi viuere tanquam cum paribus liceret: ſimul & repetendæ libertatis ſocius, oſtendam quam nihil in regnatrice domo, ex ingenio dominantium hauſerim. Proin rapite confeſtim arma, & ſuperbum illum non Principem, ſed Dominum, veſtris depellite cervicibus. Eadem vobis virtus reddet tot cara pignora, propinquos, fratres, conſanguineos, quos nuper miles illius traxit in captivitatem. Satis Friſiis erat, repertum, qui primus arma ſuaderet: certatim omnes militiæ dant nomina, & gaudent populari duce. Florentius quoque gnarus mobile vulgus, & calidam ſpem ſæpe pœnitentiam ſequi, utitur impetu, & anno hujus ſæculi tertio & triceſimo, patriam fratremque infeſto CIↃC XXXIII. agmine petens, Alcmariam, quæ prima in conſpectu fuerat, captam incendit. Moxque in Friſiam regreditur: gentis morem ſervans, quæ niſi longinquas expeditiones ſuſciperet, in hoſtico noctem tranſigere haud adſueverat. Tum rurſus Hollandorum, quæ in Septentrionem vergunt, & mox Occidenti propiora incurſionibus, nullaque non belli clade vexavit. Kenemarios propinquitas maxime injuriis expoſuerat: unde cum indies patriæ clades & miſerias ſuorum adſpectarent, conſilio habito, mittunt ad Florentium legatos, fœdus cum Friſiis, ejurato Theoderici nomine, percuſſuros. Advertit ea res Comitis animum, & totam Hollandiam in hoſtilia, ni occurreret, tranſituram metuens, propere cum milite Harlemum proficiſcitur. Kenemarii propinquo Comite defectionis juſtam vindictam metuentes, ilico legatis ad Florentium miſſis, orant, ut ſociis ante perniciem ſuccurrat. Ad quæ protinus ille movit agmen, & Kenemariorum ſecuritate haud contentus, Hollandorum agrum incurrit, cunctaque circumjacentia vaſtavit, proſpectante è mœni-

bus Harlemi damna ſuorum Comite Theoderico, cæterum, ob infirmas adhuc vires, progredi non auſo. At poſtquam eadem die abſcedentes Friſii rei gerendæ occaſionem aperuere, ſine mora in Kenemarios effuſus, pagos, vicos, ædificia, obvia quæque incendit, donec rupti ſacramenti culpam novo jurejurando Kenemarii delerent, & deſerto perfuga, Principis obſequium reſumerent. Affertur interea ad Lotharium Cæſarem fratrum diſcordia diſtrahi vexarique Hollandiam: iſque confeſtim legatione miſſa iram ſuam turbarum auctori denunciat: quam dum uterque metuit, tandem plurimis modis tentata pax firmatur, Friſia, ut nonnullis proditum, Florentio in feudum relicta. Sed Florentius vacuum à militia animum ad amores Hedjugis tranſtulit, quæ Arnoldo Rochemi Comite genita, Hermannum Cuicenſium Comitem, Andream Antiſtitem Trajectinum, & Godefridum Arensbergicum avunculos, matrem Aleidam habebat. Igitur ſæpius matrimonio ejus poſtulato, quum fratres abnuerent, iterum in iras exarſit juuenilis animus. Et vindictam quoquomodo ſumere certus, Trajectinorum civium animos (ut erat aptus alliciendis hominum amoribus) in ſe trahit, ipſumque urbe Antiſtitem pellit. Ille vero injuriæ atrocitate acerbatus fratres adit, quos omnes ad ultionis cupiditatem & arma excivit. Erat & hoc inter cætera morum Florentii, exiguo comitatu venatum indies exire. Vnde patere eum inſidiis Godefridus videns, diſpoſuit ſpeculatores, qui itinera ejus, egreſſuſque, & tempora obſervarent, cunctiſque exploratis inſidias iiſdem locis condidit: quæ Florentium de more ad venandum progreſſum, haud procul Abſteda, vico Trajectinis propinquo, peremerunt. Hic Florentium exitus habuit: quem ubi fratrum ſcelere cecidiſſe Lotharius Imperator comperit, triſtem cognati caſum miſeratus, & inflammatus ira, ademit priſtinum nomen Cuicenſibus, & non Comites poſthac, qui illam ditionem tenerent, ſed Dynaſtas

naſtas

Digitized by Google

naſtas appellari juſſit. Hæc ita Annalium ſcriptores; quos tamen falſi evincant, quod poſt illa quoque tempora Cuicenſibus rectores Comitum titulo fuiſſe, ex ejus ætatis ſcriptis comprobari poteſt. Sed Theodericus fraterna nece vehementius commotus, colligit militem, & Epiſcopum primo, inde Cuicenſem ditione ſua exactum alias petere terras coëgit, internecione prope deletis hujus ſubditis. Cæterum defuncto Cæſare Lothario, & Antiſtiti ditionem Trajectinam, & Cuicenſi ſua, ſed huic non niſi in feudum reddidit. Per idem tempus Rhenoburgi cœnobium Petronella Comitis mater exſtruxit: evocatiſque Supplenburgo ſacris virginibus, Cunizam Abbatiſſam impoſuit. Inſequens annus inundatam maris æſtu Hollandiam, Flandriam, Friſiamque vidit, ſed exiguo damno. At anno ſæculi duodecimi octavo & trigeſimo, Andreas Trajectinorum Antiſtes, Coloniam profectus ad Cæſarem Conradum, qui Lothario ſucceſſerat, Oſtergoam Weſtergoamque reddi ſibi impetravit. Eæ ditiones ut addicti Hollandis vel Trajectinis Imperatores Dominum mutabant. A fato tamen Egberti Trajectinis poſſeſſa crediderim. Sed Andreas domum reverſus morbo extinguitur, ſuccedente omnium conſenſu Heriberto. Qui primordiis Epiſcopatus arma intulit Othoni Comiti Benthemienſi, ob vaſtatum agrum Drenthanum. Otho cognominem parentem Reineccæ Comitem, & ſororem Sophiam habebat, Theoderico nuptam: ex qua numeroſa illi ſtirps, filii quatuor, Florentius, Otho, Balduinus, Peregrinus; ſequioris ſexus, Sophia, Hadwichis, & Petronella erant. Igitur Heribertus prœlio congreſſus & victor, ipſum capit Othonem, & Trajecti dat in cuſtodiam. Theodericus calamitatem affinis ulturus propere exercitum urbi admovet. Quæ ubi nunc multa machinarum vi, nunc prœliis oppugnantium fatigabatur; Epiſcopus, tametſi impigre ubiq; ſuos occurrere videbat, novo conſilio, ſacerdotes, monachos, & quicquid ſacri ordinis in

CIↃ C XXXIV.

CIↃ C XXXVIII.

urbe erat, habitu quo divina peragere ſolerent convenire ad ſe jubet. Et proſcriptionem cunctis minatus qui illa die portas egreſſi eſſent, ipſe poſtquam omnes ejus ordinis homines adfuere, longa caterva procedit verſus caſtra, Theodericum ni cœpto abſcederet ſacris amoturus. Quos ut procul adventantes vidit Comes, aciem ratus, ordinat ſuos, datoque ſigno, invadere jubet. Illi poſtquam propinquatum eſt, & pro militari manu inermem turbam vident, ſubito reſtitere. Comes ipſe ut ad arma inpavidus, ita ſacris devotus, ſimul ardentes faces Epiſcopum quatientem conſpexit, nudis pedibus genua ejus advolvitur, & obſequium in his quæ juſſiſſet offerens, execrationis ſolum pœnam ſupplex deprecatur. Quem Antiſtes humo ſublevatum, miti reſponſo excipiens, non niſi oppugnationem deſerere juſſit, & poſt pauca firmatur inter utrumque pax, ſancte ab utroque uſque ad finem vitæ ſervata. Confeſtim Comes caſtra tollit, meruitque facili obſequio, ut Othoni Palatino, cuſtodiæ exemto, Antiſtes Benthemienſem Comitatum in feudum daret. Quo poſtea ab Othone Staliciæ Comite morte indigna peremto, Comitatum accepit Theoderici filius, avunculo cognominis, Gorichemi apud Hollandos toparcha. Eodem tempore finitis inter Adolphum Schauwenbergenſem Comitem, & Henricum Leonem controverſiis, quæ de Segenbergano tractu, & Wagirorum terra fuerant, caſtellum Segenberganũ exſtruere Adolphus cœpit; & quia pulſis aut exhauſtis longo bello habitantibus, hominum copia nulla erat, miſſi ab Adolpho in Weſtfaliam, Friſiam, Hollandiam & Flandriam, populoſas regiones, legati, ut rei familiaris aut agrorum anguſtia laborantes, ad accipiendos à Comite agros invitarent. Vnde multi Hollandorum eodem migravere, quis Vtinenſis ager ab Adolpho datus, ut Dorgunenſis Weſtphalis, Suſlenſis Friſiis. At Theodericus interea Hieroſolymam iter meditans, terreſtri itinere Romam proficiſcitur, viſundi Pontificis,

Digitized by Google

tificis, cui Egmundanum & Rhiinsburgenſe cœnobium, hacte-
nus Hollandiæ Comitum juſſis obnoxium utrumque ſubjecit.
Inde Hieroſolymam navigans, poſt luſtrata omnia, quæ ſerva-
tor noſter Dei filius, cum humanę ſortis particeps in terris de-
geret, veneranda poſteris fecit, anno demum poſt undecimum CIↃ
ſæculum tertio & quadrageſimo, in patriam revertitur. Eo- CXLIII
dem anno tabulæ, de conceſſa Pontifici Egmunda, Abbati & CIↃ
monachis prælectæ ſunt ab Heriberto Antiſtite. Cui quadri- CXLVII
ennio poſt Conradus Cæſar tabulas de Oſtergoa & Weſtergoa,
Antiſtiti Andreæ quondam datas, ſancivit. Annum ejuſdem CIↃ
ſæculi undequinquageſimum immanes tempeſtates, & toni- CXLIX.
trua fulminaque nobilitavere, multis hominum, multis ju-
mentorum enecatis. Secuta eſt turbidam æſtatem infenſior hi-
ems; quâ & marinos fluctus domuit gelu, & volucres frigoris
vis conſtrinxit, dejecitque. Et ut ferme calamitas quæque no-
va ſemper mala trahit, implacidum cœlum, inſequente anno, CIↃ CL.
caritas excepit, tam gravis, ut Brugis modium tritici XXX ſo-
lidis venum iſſe in comperto ſit. Ex caritate fames: illa peſti-
lentiæ & multorum mortibus cauſam dedit. Extinctus eodem
anno Heribertus Antiſtes, dubium lue, an alio morbo: quippe
nihil hac de re proditum invenio. Fato ejus turbatæ Trajecti-
norum res, Fredericum Havelium ſucceſſorem deſtinantium,
dum Hollandorum, Geldrorum, Cliviæque Comites Herman-
num Hornanum foverent. Vis prævaluit, & Theodericus aſ-
ſumtum Hornanum armata manu Trajectinis impoſuit. Illi in-
dignantes invitis ſibi Antiſtitem obtrudi, ſimul metu, ne in ex-
emplum res iret, ſi olim ſimilia Hollandiæ Comitibus licuiſſent, CIↃ CLII.
per biennium litem traxere, donec Leodicum veniens à Pon-
tifice legatus, Hornano, Havelioque eodem evocatis, illi ho-
norem ſervavit. Anno poſt quinquageſimum quinto Drech- CIↃ CLV.
tenſes Friſii crebris incurſionibus Hollandiam vaſtabant, in-
cenſoque pago Zandenſi, Harlemenſes & Oxdorpiani quorum

agris

agris vis intentabatur, obviam iere, & nongentis hoſtium proſtratis, cæteros in fugam egerunt. Ita Drechtenſium ad tem-
CIↃ CLVII pus repreſſa audacia. Cui non ultra biennium ſuperſtes Theodericus: quippe nonis Auguſti, (annus poſt quinquageſimum ſeptimus agebatur,) fato conceſſit, Egmundæque majorum, ut vivens Comitatum, defunctus ſepulchrum accepit, poſt quinque & triginta annos imperii. Sophia conjux, pietate in maritum, peregrinationem pro ſalute ejus non unam obiit; primoque in Hiſpaniam ad S. Iacobum, exin Hieroſolymam ter profecta, finem vivendi ibidem & monumentum habuit. In Hollandia ſucceſſor patris FLORENTIVS, tertius eorum qui inter Comites id nomen geſſerunt, exordio principatus Philippum bello aggreditur, Flandriæ, dum parentem Theodericum Syria attinebat, præfectum. Diſcordiæ originem & cauſſam alii aliam memoravere: quos inter Meierus portorium Gervlietanum, & acerbe exacta à Flandris mercatoribus vectigalia. Leidanus repetitam à Comite Walachriam, quæ jam à Roberti Friſii temporibus Flandris paruerat. Sed incertus Annalium Flandriæ auctor, ab utroque diverſus, ſimultatibus cauſam dediſſe tradit Eliſabetham Rodolphi Veromanduorum Comitis filiã, & hæredem. Cujus matrimoniũ utrique expetitum, poſtquam anno hujus ſæculi ſexto & quinquageſimo Flander obtinuerit, indignatum Florentium ſtatim Walachrorum inſulam repetiviſſe, non ſpe impetrandi, ſed ut negata materiem daret bello. Ego ut libens hæc firmanti acceſſerim, non tamen Meieri fidem in dubium devocandam arbitror: quippe potuit commotus ira Florentius, plus æquo Flandris mercatoribus exegiſſe. Philippus poſtquam infenſum Florentium parare arma pro certo habuit, dementiæ ratus hoſtium injuriam exſpectare, Waſiam prior invadit, & Bevernam caſtellum occupat, pulſo toparcha Theoderico. Dein validam claſſem infeſtandis terra marique Hollandis emit-

emittit : qui tamen conatus prudentia Comitis irritus fuit. Hæc illo anno geſta. Proximo, ut & illum ſubſecutis, nihil à Florentio in Flandros tentatum, dum aliis curis diſtinetur. At anno poſt undecimum ſæculum ſexageſimo ingentes CIↃ CLX Groningæ motus concivit obitus præfecti Lefferdi. Godefridus in Trajectinos, quorum Antiſtes erat, recidiſſe jus omne & imperium aſſerebat, idem in ſe trahentibus Rudolpho Menſone & Herberto, è defuncti Lefferdi filia, patre Weſtphalo, Godſchalco Superochio, ortis. Contra Ludolphi, Covardiorum Præfecti, hæredes, agnati Lefferdi, quæ ſibi ſolis deberentur ab aliis peti dictitabant. Cæterum Superochii Groningæ agitantes, civium, & Trajectinorum, quos in partes traduxerant, conſenſu, Groningæ imperium invaſere. Audax id facinus Epiſcopo viſum, quando adhuc lis pendebat. Quare colligit militem, urbemque circumvallatam magno tandem molimine in poteſtatem redigit. Pulſis Superochiis perfugium ad Geldriæ Comitem fuit, à quo opem nequidquam ſæpius imploratam obtinuerunt, promiſſo, urbem, ſi potirentur, æternum Geldriæ feudum fore. Educto exercitu, aſſumtoque Batenburgi toparcha Theoderico, prius Trajectum Geldrus intercipit, quam bellum in ſe parari, nedum adeſſe hoſtem Antiſtes ſciret; qui forte paulò ante Groninga cum paucis reverſus, poſtquam tota urbe claſſica, & hoſtilis agminis ſtrepitum audit, territus, Theoderico Cliviorum Comite, & civium paucis ſubſequentibus (nam plerique Superochiis favebant) in turrim operibus munitam confugit. Inſequitur Geldrus, & oppugnationem orſus, præſidiariorum egregia defenſione, & ſagittarum multitudine depellitur. Sed Cliviorum Comes Theodericus, quamvis ſtrenuis, ob hoſtium multitudinem, & diuturnæ oppugnationis tædia, conſtantiam ad ultimum ceſſuram ratus, hortatur Antiſtitem, ut atro noctis per hoſticas vigilias evaderet, & Hollandiæ Co-

 mitem,

Digitized by Google

mitem, aut quem alium faventium, ad ferenda adverſus Geldrum auxilia perpellat. Neque ille ſalubria monenti parere gravatus, eluſis cuſtodiis mox ad Florentium venit; quem facile vicini pericula, & ſors ad miſericordiam tranſtulerunt. Igitur coacto exercitu Woerdam munimentis ac milite ſupra ſolitum firmat. Inde Trajectum caſtra circumpoſuit. Premebant turrim, & præſidiarios Geldri, viciſſim ipſi ab Hollandis urgebantur, mœnia identidem invadente Florentio, ne moli Clivius Comes, qui arci præſidebat, ſuccum-
CIↃCLXI beret. Ita ad Trajectum toto pene anno dubie, & nunc hinc, nunc inde acceptis detrimentis, certatum eſt, donec Colonienſium Antiſtes Reinoldus, jubente Frederico Cæſare, ad Comitem veniens infenſos in gratiam hac conditione reduxit, ut à Superochiis Antiſtes marcas trecentas, illi ab eo præfecturam Groninganam acciperent. Ita lapſus ſpe Geldrus domum remeat. Florentius, dum in armis miles, & adhuc bellorum avidus ſpem gerendæ rei faceret, acriter Drechtenſibus Friſiis minabatur. Sed illi metu, an feſſi diſcordiis, quas adverſum Comites ſupra annum triceſimum exercuerant, imperium volentes accepere. Eadem fere tempeſtate Florentius ſibi matrimonio Adam jungit, Scotorum Regis Milcolumbi ſororem, cui pater Henricus ob immaturos annos regni expers, avus David Rex fuerat. Datum id honoris Egmundanorum Abbati Wiboldo, ut ſponſam Comitis è Scotia arceſſeret. Ex qua nati poſtea maſculæ ſtirpis Theodericus, Wilhelmus, Florentius, & Robertus; filiæ Beatrix, Elizabetha, Adelheidis, & Margarita: in quis Robertus filiorum minimus Kenemariæ præfectus, omnium noviſſima Margarita Cliviæ Comiti nupſit. Anno ſæculi duodecimi
CIↃ CLXIII tertio & ſexageſimo coloni ab Hollandis in Sclavorum agros miſſi. Sclavos à ſe devictos ditione Albertus Urſus Marchio exturbaverat. Et ne fertiliſſimi agri vacarent, Adolphi Schauwenbur-

wenburgenſis exemplo in Hollandiam, Zelandiamque, & Trajectum legatos miſit, trahendis ad ſe, quibus arctiores res deſiderium patriæ ſublevabant. Igitur multi illic ex Hollandia Zelandiaque commigrantes, Auſtralem Albis fluvii ripam, ab oppido Salveldela ad Bohemicum uſque ſaltum, quo in tractu Barſemerlandia & Maſcinerlandia ſunt, multitudine ſua opplevere. Saxonum hæ quondam ſedes, inde Sclavorum fuerant; quis, Alberto permittente, Hollandi & Zelandi ſucceſſere. Altero, poſtquam hæc evenerant, anno, orta CIↃ
inter Florentium & Godefridum Antiſtitem Trajectinum CLXV.
diſcordiæ ſemina in bellum eruptura videbantur, dum Oſtergoam Weſtergoamque nunc Hollandis, nunc Trajectinis, adjudicatam, pro lubidine Cæſarum, & addicto his vel illis animo, uterque in ſe trahit. Et quia ſuæ utrique tabulæ erant, nihil reliquum ad finiendam contentionem præter arma videbatur: quæ confeſtim parare Florentius aggreſſus. Godefridus viribus diffiſus, Imperatorem Fredericum evocat, isque Trajectum veniens, & partium arbiter dilectus, pronunciavit, ut æquali in poſterum jure Friſiam ambo poſſiderent, & Comitem iis non niſi ſimul imponerent. Vtrique ſuus eſſet vicarius, qui abſentis locum & negotia tueretur: neutri poteſtas foret talem deligendi, qui alteri diſpliceret, aut ſi feciſſet mutandum. Ad dividendos terræ proventus Comes & Epiſcopus non niſi triginta hominum comitatu quiſque proficiſceretur. Quem unus, eundem & alter hoſtem haberet, auxiliaque ferret, ni affinitatis interventus, aut quid ſimile, jungere vires prohiberet. Hæc ſumma eorum, quæ tabulis Frederici continebantur: & ab eo tempore Oſtergoam & Weſtergoam æquali jure Hollandi & Trajectini rexere; ſolis hactenus Epiſcopis poſſeſſas, ex quo ab Egberto Hollandis ereptæ erant. Emmius tamen neque Comites Hollandiæ, neque Trajectinos Antiſtites, hac tempeſtate jura Friſiis dediſſe

 arbi-

arbitratur: quam falſo, ſatis oſtendit diviſio imperii poſtmodo inter Theodericum & Wilhelmum fratres facta. Nec medio tempore ullum intervenerat bellum cum Friſiis, ut quis interea occupatam eorum terram dicat. Nam quod ultro deditionem feciſſe eos nonnulli prædicant, id cum gentis, pro libertate acerrimæ, ingenio repugnat: tum facile eò refellitur, quod tractantes hæc tempora Friſiorum ſcriptores nullis argumentis adſtruere poſſint, integram ſuis libertatem manſiſſe. Sopita cum Trajectinis diſcordia, adverſum Flandros ſupererat bellum, hactenus ſola agrorum jactura geſtum: Cui ut finem imponeret Florentius, decem armatorum millibus coactis, fœderatos ſibi Geldriæ Cliviæque Comites rogat, ut ſenis cum millibus expeditioni ſocii adeſſent. Statim adſenſere, junctiſque copiis Aloſtanum pervadunt agrum, & poſtquam cuncta vaſtavere, Armeſteinum caſtellum operibus validum oppugnare incipiunt. Fertur interea ad Philippum Flandrum nuncius, vaſtatas Aloſtanorum terras, obſeſſum Armeſteinum graviter premi. Itaque mox aſſumto fratre Matthæo, Bononienſium Comite, Hugone Teraſteini toparcha, acceſſu inſuper Lovanienſis Comitis firmatus, caſtra movet. Septem & quadraginta millia lectiſſimi militis habebat. Terruit ingens numerus Geldrum Cliviumque. Sed Florentius impavidus hortatur ſuos, ut hunc diem unum cæteris proſpere geſtis imponerent. Omnia circum hoſtilia, nec in fuga præter mortem quidquam ſpei. Ita confirmatos in prœlium ducit. Clivii Geldrique ſuo magis metu, quam hoſtium fortitudine, confeſtim ceſſere. Plus Hollandis animi, plurimum Comiti; qui ſi quos paucitas ſua perculerat, incendere, atque in hoſtem rapere, ipſe periculorum particeps non intermittebat. Sex horis anceps pugna ſtetit, inde numeri, hinc animorum magnitudine, & pudore, dum aliis Florentius conſtantiæ argumentum erat. Cæterum cadentibus

Digitized by Google

dentibus multis pars fugam faciunt. Sexcenti Comitis acerrime dimicantis individui, atrociorem, quam priores, pugnam edebant. Tandem cæſis reliquis, paucis qui ſupererant ægre confecta vulneribus corpora ſuſtinentibus, ipſe Florentius feſſus, ſauciuſque circumſiſtentium ſemet manibus permittit. Septem Hollandorum millia cecidere, mille capti; è cæteris nemo integer prœlio exceſſit; quod Flandris, quamvis taceant auctores, minus incruentum fuiſſe, vetat credere noſtrorum fortitudo. Philippus captum Florentium Brugis in cœnobio D Donatiani, digna Principe cuſtodia, aſſervari, & diligentem vulnerum curam præcepit. Videntur nonnulli, & in his Meierus crediddiſſe, navali prœlio certatum eſſe; quis fidem ego negaverim, antiquiorum ſcripta ſecutus: interim arbitror, Schaldi flumine devectum Comitem, cum ſuis Aloſtanum in agrum veniſſe. CIↃ CLXVI. Captivus Comes armorum Friſiis incitamentum fuit: quorum qui in occaſum ſpectant, anno hujus ſæculi ſexto & ſexageſimo Hollandorum agros longe lateque populati ſunt. Illis propiores id flagitium rati obviam propere occurrunt. Et poſtquam ad manus ventum, ut primo victum toties hoſtem promte invadebant, ita reſiſtenti mox conceſſere. Dux deerat, & reperto fugæ auctore, cæteros exemplum traxit. Soli Alcmariani numero octoginta acrius obſiſtentes, facile conciſi; morte temeraria quamvis honeſta. Sed Friſios ad irruptionem ſtimulaſſe exiſtimatur, quod ante captivitatem Comitis Harlemenſes Schagenſem pagum ingreſſi, quicquid Friſiorum occurrerat, occidioni pecudum inſtar dediſſent. CIↃ LXVII. Inſequens annus pacem Florentio & Flandris dedit. Pleræque tamen conditionum pro victoribus. Quippe convenit, ut obſides de Zelandorum inſulis Schaldim & Edinzeam interjectis, Brugis Flander quoad libitum retineret: ibidem controverſiæ de inſulis diſceptarentur. Proventus ex æquo dividerentur. Munitiones in Zelandia extruere neutri fas eſſet. Homicidis aut exulibus

Digitized by Google

in Flandriam nullum eſſet perfugium. Flandrorum mercatoribus, ſiquibus bona in Hollandia erepta forent, ſex virorum arbitrio, in loco accepti damni ſatisfieret. Iidem teloniorum in Hollandia immunes eſſent. Et ſiquid extortum, Comes reddere teneretur. Denique accuſati, ſi jurejurando criminis innocentiam teſtarentur, à nemine prohiberi ab itinere poſſent; retentis damnum mora acceptum Comes penſaret. Qui ſi ullam ex his pactionibus exiviſſet, etiam jure excideret in cuncta, quæ feudi titulo à Flandris haberet. Sed Comes, offenſus cuſtodia, qua præter morem Principum biennio detentus fuerat, ſimul in Hollandiam rediit, auctoribus haud dubie Patribus, quorum videtur abſque conſenſu conveniſſe, ruptis pactis, graviora Flandris, quam cæteris mercatoribus, vectigalia extorſit. Philippus ut repudiatam pacem, ſpretam religionem accepit, confeſtim Walachriam in ſe traxit, & Waſianum agrum, Hollandici hactenus juris, ſi Meiero credimus, invadit, & occupat. Sed vero illud ſimile haudquaquam videtur, quando ſecuto mox Friſiorum bello ſagittarios Flandros militaſſe Annales affirmant: nec illi alii, quam Waſiani fuere; quippe Flandrorum ſoli iſti Hollandiæ Comitibus parebant. Florentius patrata Philippo moderate tulit, aut potius ad tempus diſtulit, donec acceptæ cladis memoria ſuis abiiſſet. Nunc Friſiis infenſior, quod ſe abſente agrorum vaſtationem auſi fuiſſent, ſub exitum hujus anni caſtra Schorelam movit. Vbi dum de belli ratione cum delectis Patrum conſultat, nobilium non-
CIↃC nulli, nequaquam juſſu Comitis, caſtris egreſſi, exuſto Scha-
LXVIII. genſium pago, illatam Alcmarianis injuriam ulti ſunt. Nihil perinde Friſios, atque illud incendium irritavit: tectorum excidia, pecorum raptus, clades agrorum, cuncta patienter toleravere, ut facilius incautos in inſidias protraherent. Et forte erant loca enatis arundinibus, dumetiſque impedita, ut natura juvare dolum videretur. Hic ſe condidere, cum graves præda Hol-

Digitized by Google

Hollandi, & nullum in proximo hoſtem ſuſpicantes, læto agmine palabundi remearent. Vbi diſcrimen in oculis, Friſii undique coorti circumfunduntur, & cum tela ab omnibus partibus ingruerent, multi noſtrorum cecidere. Alios neceſſitas in deſperationem vertit. Conglobati igitur irrumpunt hoſtiles cuneos, & pugnam non pro numero cient. Sed augebatur interea Friſiorum quoque multitudo, cui paucos ſuccumbere mirum haud fuit. Nonnulli per medios hoſtes elapſi triſtem Comiti nuncium pertulere. Certe ſi illuſtres viros ſpectaveris, multis ſæpe juſtis prœliis non tantum cladis acceptum. Quippe perierunt celebres nobilitate, Simon Antwerpienſis, Wilhelmus Worthekous, Balduinus Harlemenſis, quem alii Brandanum nuncupant, Gerardus Dapifer, Florentius Roeſtius ſive Ruiſchius, Alardus Egmundanus, Bruno Caſtrichemus, Gerardus Monſterus, & Everardus Nortwicenſis. Comes ſuorum intellecta clade triſtis, & dum recens dolor nihil militem auſurum ratus, domum regreditur. Quod ſi victoria uti Friſii ſciviſſent, fortaſſis totius exercitus excidio Scagenſibus parentare poterant. Inſequente tamen anno, qui undeſeptuageſimus erat, Alcmariam vix à priori clade reſpirantem occupant, incenduntque. CIↃC LXIX. Advertit publica calamitas Kenemariorum animos; & facto agmine, fidentes in hoſtem profecti, paucis interfectis, reliquos in fugam egere. Quod, quamvis leve damnum, ſuffecit Friſiis à populatione cohibendis. Sequitur annus Hollandis, Zelandis, Flandris, & maxime Friſiis calamitoſus; quo ſupra ſolitum tumeſcens Oceanus, aggeres, objectoſque à natura arenæ colles, patentibus ſe campis ſuperfudit. Subverſæ domus, hauſta caſtella, disjecti pagi, terribili cum ſtrage hominum ac jumentorum. Quæ tenui antea alveo dividebantur, intercurrens æſtus vaſto ſinu diſcrevit. Avulſæ continenti partes, & undique undis circumventæ inſularum nomen & formam accepere. Non graviſſimis bellis tam funeſta clades illata. Tra-

CIↃC LXX.

ta. Trajecti mœnia uſque pervagati fluctus, adeo ut piſces ante portas captos,& refluente pelago multos in ſicco deſtitutos, Annales ferant. Sed luctuoſiſſima Friſiorum detrimenta; ubi quicquid inter Texaliam, Medenblikam, & Staveram ſoli jacet, aquis obrutum eſt. Auſtralis adhæc ſinus in immenſum auctus. Texáliam & Wiringam, continenti hactenus hærentes, Oceanus diviſit, & quam hodie ſpeciem habent, dedit. Sed annitente hominum ingenio aggeribus Hollandia Zelandiaque expulſum mare. Friſiis non idem felicitatis fuit. Noſtra tamen ætate,haud procul Texalia,in ultimis Friſiæ Occidentalis oris, emergere dudum hauſta incipiunt, ut arte quondam ab Oceano bona fortaſſis ſoli pars vindicari poſſit. Inundationem hanc in aliud tempus nonnulli rejecere: ſed ego malui huic anno inſerere, ſecutus Godefridum S. Pantaleonis monachum, & illorum fere temporum æqualem. Onerarunt

CIƆC LXXI. cladem eam inſecuto anno fulgura, & tonitrua, quis ictæ fruges moriebantur, non ſine hominum pernicie. Sed annus

CIƆC LXXII. poſt ſeptuageſimum ſecundus, biennium horrentibus & deſolatis agris, priſtinum decorem reddidit. Eadem tempeſtate Henricus Comes Arensbergicus Othonem Florentii fratrem, generum ſuum,in vincula conjecit,ob poſtulatam dotem quam convenerat majorem. Ex quis non ante dimiſſus, quam jurejurando ſanxit pacta dote contentum ſe ſoceri terras non invaſurum. Tum rurſus nova ab aquis clades. Nam quinto Id.

CIƆC LXXIII. Maii,anni ſupra ſeptuageſimum tertii,ſolutis Solis æſtu nivibus, immenſa aquarum vis Rheni Moſæque alveis illapſa, & mox ſuperfuſa, iterum Hollandorum & Trajectinos agros inundavit. Et forte eodem tempore ventorum violentia concitus Oceanus immenſum adeo excrevit, ut repreſſo amnium curſu, novum impendere diluvium mortales crederent. Arborum, tectorum, pecudum ingens, maximaque ſimul hominum ſtrages fuit: quippe multi inopinato oppreſſi; reliqui in ſumma

ædium

ædium ſemet ſubductis vitæ conſuluere. Nec dubitant Annales, Trajectum urbiumque alias manifeſtas exitii futuras, ſi violentiam tempeſtatis diuturnitas æquaviſſet. Nam triduo
poſt cedente mari flumina conſederunt. Exin biennio haut ab- CIↃC
ſimilis Gallos clades afflixit, exundantibus Sequana, Axona, & LXXV.
Liſa. Qua tempeſtate Comitis mater Sophia, aſſumto filio Othone Benthemienſi Comite, Hieroſolymas profecta, & eun-
dem intra annum reverſa eſt. Quod iter inſecuto etiam anno CIↃC
repetens, in ſancta urbe fato conceſſit, ac Teutonicorum in LXXVI.
templo condita eſt. Sequitur annus hujus ſæculi duodeoctoge- CIↃC
ſimus, quo Trajectinorum res, exſtincto Antiſtite Godefrido, LXXVIII.
tranſlatæ in Balduinum Comitis noſtri fratrem, & S. Mariæ Eccleſiæ ante præpoſitum. Per idem tempus, diſcordes in mercatu ſubditorum, Colonienſis Archiepiſcopus, & Flandrorum Comes, negotium compoſuere. Eademque opera ad pacem Florentius Comes & Flander reducti ſunt. Conditiones Ioannes Leidanus, falſus in eo, quod bellatum hoc anno arbitretur, haſce tradidit: Vt Waſiam Flander, Walachriam cæteraſque trans Scaldim inſulas Florentius obtineret, & ſimul foſſores mitteret reparando aggeri, quem haud procul Brugis perruptum, Flandri ſæpius inſtaurare, ſed incaſſum tentaverant. Nec diſtulit Comes implere pacta, miſſis ex Hollandia Zelandiaque mille admodum foſſoribus. Ita Walachria vicinæque inſulæ, ſupra centum annos Flandris poſſeſſæ, ſub imperium Hollandorum revenere. Foſſores à loco, in quo nunc Dammum oppidulum eſt, Sluſam uſque perpetuo aggere jacto, vix tandem octogeſimo ejus ſæculi anno opus conſummarunt. Diligentiæ præmium Philippus Comes agrum exſtruendo oppido conceſſit: quod mox Hollandi Zelandique orſi ſunt, vocabulo Dammi ab jacto aggere impoſito. Habitantes Didolfos, (voce foſſores ſignante) appellatos, Meierus tradit. Sed Philippus protinus advenis beneficia, & immunitatem per omnem Flandriam

à tributis & vectigalibus contulit. Reperio apud Ioannem Leidanum, quo primum tempore in Flandriam venerant Hollandi, canem juxta aggerem viſum, & ſex continuis diebus horrendos latratus ejus auditos. Quo tandem in hiatum præcipitato, & ſuperingeſta humo, felicius opus proceſſiſſe. Eam ego fabulam ex ſonore undarum, quando aggeris perrupti anguſtiis artabantur, inter ſe colliſarum, natam arbitror; ſatis prodentibus veterum monumentis ſonantia vorticum alliſu ſa-
CIↃC LXXIX. xa, Scyllææ fabulæ originem præbuiſſe. Anno undeoctogeſimo Coloniæ editos à Comite equeſtres ludos, magno Principum externorum concurſu, in Annalibus legimus. Idem & principium gravis belli inter Balduinum Epiſcopum, & Geldriæ Comitem. Brabantiæ Dux Velaviæ Comitatum, à Trajectinis in feudum acceptum, pari jure Geldriæ Comiti tranſdiderat. Et quia fidelitatis juramentum Dux abnuiſſet, excidiſſe beneficio videbatur. Igitur à Geldro Velaviam Antiſtes repetit: abnuenti bellum indicitur, moxque movens cum exercitu Epiſcopus cuncta populationibus vaſtat. Quam injuriam vindicaturus Geldrus, vix Daventriam obſederat, cum Frederici Imperatoris interventu, diſſidia non tam finita, quam dilata ſunt.
CIↃC LXXX. Forteque in ipſis induciis (annus octogeſimus agebatur) Gerardum Comitem fatum ſuum rapuit; ſuccedente fratre Othone. Ea dum geruntur, Florentius quoque arma in Friſios movit, quos magna ditionis parte ab Oceano ſpoliatos, jugum promtius accepturos conjectabat. Vaſtatis agris, pagos Nidorpiam, & Winckelam occupat, nemine hoſtium movere auſo. Sed
CIↃC LXXXII. quamvis animos tunc abjeciſſe viſi, biennio poſt, dum ſolemnia nuptiarum inter Theodericum Cliviæ Comitem, & Margaritam Florentii filiam peraguntur, ſubito conductis copiis procurrerunt. Ergo ab epulis ad arma converſus Comes, Ackerſlotum prope, ingenti hoſtes prœlio ſuperavit. Et licet cecidiſſet, quod roboris iis aut animi erat, debellare tamen eo anno perti-

Digitized by Google

pertinacem populum nequivit. Vnde quarto poſt octogeſimum, repetita expeditione, tanta in eos ira graſſatus eſt, ut non arma, ſed latebras cogitarent. Cuncta ad Auſtralem uſque ſinum perdomita. Et quia propinquis ſociis facile hoſtilia reſumturi videbantur, ſpem omnem præcidendam ratus Florentius in Texaliam Wiringiamque transjecit, nec ægre victoria potitus eſt adverſum deſtitutos auxiliis ſociorum. Simul tributum grave ob aſſiduas rebelliones imponit, quater mille marcarum argenti. Quibus geſtis domum remeans, ſtatim iter Hieroſolymam ſuſcepit; eamque illi potiſſimum cauſſam repetitarũ toties expeditionum nonnulli arbitrantur, quod non niſi firmatis domi rebus abeundum putaret. Hieroſolymitanum iter, temporum illorum more, cupidine ſacra loca, & matris Sophiæ ſepulchrum viſundi, iniiſſe Comitem creditur: quam ibi extinctam & ſepultam eſſe, ſupra docuimus. Peragrata omni Iudæa domum ſoſpes rediit anno poſt ſæculum undecimum ſexto & octogeſimo: qui nihil memoria dignum habuit, niſi quod Florentii filius Theodericus, ſororem Theoderici Cliviæ Comitis conjugem acceperit. Sed maſcula proles eo ex matrimonio nulla, filiæ duæ Ada & Adelheidis natæ, quæ turbis poſt fatum parentis origo. Inſecutus annus renovavit bellum Balduini contra Geldrorum Comitem: cui facem ſubjeciſſe Fredericus Imperator creditur, induciarum antea auctor. Opinioni huic materiem præbuere Cæſaris in Colonienſem Archiepiſcopum arma; quaſi Geldrum auxilio ei venturum timens, propriis diſtinere voluerit. Ergo rurſus Velaviam incurrit Balduinus, omnibuſque vaſtatis Zutphaniam petens, tecta, domos, pagos incendit; imparato hoſte. Antiſtes ad auxilium vocarat fratrem Florentium, & cognatum Theodericum, Hollandiæ illum, hunc Cliviæ Comitem. Florentius totam Geldriam & Velavianum pervagatus agrum, hominum pecudumque præda gravis, Daventriam ſe recepit. Nec Clivio induſtria ad infeſtan-

CIↃC LXXXIV.

CIↃC LXXXVI.

CIↃC LXXXVII.

Digitized by Google

dum hoſtem, aut fructus defuit. Adeo ut Geldrus omnibus impar, ad Colonienſem Archiepiſcopũ, Antiſtitem Monaſterienſem, & Brabantiæ Ducem legatos miſerit, ſubſidia rogaturos. Et quamvis ſimul terna tantum millia miſiſſent, non dubitavit Comes illatas ire ultum injurias, & ſi ita res ferret, manus conſerere. Primoque Daventriam, quo omnis prǽda congeſta erat, tanto impetu aggreditur, ut anxius Antiſtes à Comite ſuppetias, & eripi periculo obſeſſos petiverit. Ille nihil differens, non ante militi quietem, quam in hoſtium conſpectu dedit. Et jam prœlium utrimque exſpectabatur, cum ſubito advolans Fredericus Imperator (nam bellum adverſus Colonienſes pactionibus finitum erat) utrumque ab armis diſcedere impetravit. Poſuitque leges, ut Geldrus Velaviam in feudũ à ſede Trajectina teneret, donec aliter ſtatuiſſet. Hæc dum geruntur, Chriſtianorum in Palæſtina res haudquaquam proſpere procedebãt. Venerat Saracenorum in manus ipſe Hieroſolymorum Rex Guido: unde ad ſacram militiam, Alexandri Pontificis decreto, Chriſtiani Principes invitati ſunt. E quibus Fredericus Imperator, Philippus Flandriæ, Florentius Hollandorum, & Otho Geldriæ Comites nomina dederunt. Horum adventu reſtitutæ res, pulſi acie Saraceni, multaque in ditionem oppida redacta ſunt. Sed poſtquam
CIↃCXC. anno ejuſdẽ ſæculi nonageſimo, hauſtus aquis Cǽſar Fredericus, iterum in pejus cuncta ibant, maxime ubi filium ejus, cognominem parenti, morbus abripuit, qui per hoſtilem ditionem incolumes copias Antiochiam uſque perduxerat. Nec diu illi ſuperſtes Florentius, Antiochiæ ſepulchrum accepit: cujus, & Friderici junioris milite Iconium civitatem expugnatam tradunt. Poſt fatum Comitis, Hollandi in Syria agitantes, ductu Wilhelmi, qui ſecundus filiorum Florentii, multa fortiter geſſere. Ruebant nihilominus indies Chriſtianorum res, donec Gallorum Anglorumque Regum acceſſu, ſpes nova, & Aconitarum urbs in poteſtatem venit. Sed corrupit ſucceſſum orta inter

Reges

Reges ęmulatio,dum Gallus virtuti Anglorum invidet,hic Gallo imperium relinquere abnuit. Ita ſuum quemque honorem ſpectante, publica cauſſa negligebatur. Prior Gallus domum repetit, anguſtias rei frumentariæ cauſſatus; cæterum invidia in Richardum, & Flandriæ potiundæ deſiderio: quæ extincto hac expeditione Philippo Comite, ad juſtum hæredem Balduinum Hannonium devoluta erat. Nec multo quoque poſt Richardus abſceſſit, orta inter eum & Germanos diſcordia. Adeo ut ingens belli apparatus mox evanuerit; quod intermittere ſatius fuiſſet, quam tanto molimine cœptum,tam fœde deſerere. Sed nos in Hollandiam revertimur;ubi parenti Florentio, poſt trium & triginta annorum imperium, ſucceſſit filiorum maximus THEODERICVS, inter Hollandorum Comites eo nomine ſeptimus. Quem Walachriam & cæteras ultra Scaldim inſulas obtinuiſſe, indicio eſt bellum ob CIϽ
eas ortum. Neque enim, quia Balduinus, Philippi in Flandria CXCII.
ſucceſſor, fidelitatis ſacramentum anno ſæculi duodecimi poſt nonageſimum ſecundo, Cæſari dixit, inde poſſeſſam illi Walachriam recte collegeris. Ego quæſitam à Balduino armorum cauſſam reor, & dictum jusjurandum, quaſi imperio in eam Theodericus excidiſſet, ob neglectum juramentũ; quod præſtare haud tenebatur, quando Gallorum regum Walachria donum erat. Eadem tempeſtate reverſus è Syria Comitis frater Wilhelmus, magnis à Theoderico honoribus, magno plebis gaudio excipitur. Sed mox, dubium qua cauſſa, ad Friſios Drechtenſes tranſgreſſus, eoſdem in Hollandos concitavit. Indignationem ejus ortam inde crediderim, quod abſentis in paterna ſucceſſione ratio habita non fuerat. Nam ſolebat filiorum ſecundo Friſia, aut ſi hoſtilis illa eſſet, Kenemaria concedi. Balduinus Trajectinorum Antiſtes, patruus utriuſque,
ut diſtractos fratres accepit,nihil intentatum relinquebat, quo CIϽ CXCV
in gratiam ambos reduceret. Sed Wilhelmus pertinax & clau-

ſus adverſum monita anno hujus ſæculi quinto & nonageſimo Friſiis ad arma concitatis, bellum fratri parat. Qui nec ipſe ſecurus, dum conquirendis neceſſariis occupatur, certior ab Zelandis fit, Flandrorum, Hannoniorumque Comitem Balduinum, cum ingenti exercitu jam litora Walachriæ tenere. Balduinum diſcordiæ fratrum exciverant, dum adverſus Comitem domi diſtentum cuncta ex voto ſucceſſura auguratur. Habebantque obtentum injuſta arma, quaſi Comes viceſimam advectarum mercium Gervlitæ à mercatoribus exigere ſolitus, cum Flandris aſperius egiſſet. Theodericus diu anxius, & cui primum occurreret ambigens, cum neutrum negligendum putaret, dividit copias, ipſeque cum parte adverſum Balduinum contendens, Adelheidi conjugi virilis audaciæ reliquam multitudinem & Friſiorum bellum permittit. Non deerat Adelheidi animus ad prœlium, ſed gnara innutritum armis Wilhelmum, & Friſiorum obſtinatam gentem, adjiciendum fortitudini aſtum putabat. Itaque inuſitato apud Hollandos exemplo, Winckelienſes & Nidorpienſes Friſios, magnum adverſarum partium momentum, precio & transfugium emercatur: neſcio omnium Wilhelmo, qui paullo poſt moto agmine Alcmariam capit atque incendit. Vnde mirari libet oppidanorum pervicaciam, an conſtantiam dixerim, qui toties deſtructam urbem, & nunquam hoſtium ſecuram, non alio fine reſtituiſſe videntur, quam ut novam hoſtilibus iris materiam præberent. Adelheidis, accepto nuncio, obviam hoſti procedit, & pugnæ poteſtatem facit, haud abnuente Wilhelmo. Non procul Alcmaria infeſtæ acies concurrere, ancipiti Marte, donec Nidorpienſes & Winckelienſes ex promiſſo ſigna ad Hollandos transferrent. Qui mox deſertorum abitu nudatum latus incurrentes, aliique tergum & frontem circumfuſi, maximam ſtragem edidere. Wilhelmus omnium belli caſuum gnarus, ſuccurrere laborantibus, nutantes firmare non deſiſtebat;

ſed

Digitized by Google

ſed infructuoſa virtute, quia fregerat Friſiorum animos diſceſſus ſociorum. Vbi nihil ſpei reliquum, & cum prœlio pericula ac cædes intendebantur, globo ſuorum Hollandicam aciem perrumpens, ſalutem ſibi peperit. Duo & viginti Friſiorum millia ea pugna cecidiſſe pars auctorum tradidit: ſed libentius acceſſerim, qui de quaternis ajunt: neque enim in toto Friſiorum exercitu illum fuiſſe numerum arbitror. Wilhelmus inſecuta cladem die, gravi in Friſios oratione invectus, projectam majorum virtutem, & dedecora amiſſi prœlii memorans, eo conſternationis bellicoſam gentem egit, ut illius modo culpæ veniam orarent, & ſuo ſanguine, ſi occaſio daretur, aut victoria acceptum dedecus abolituros promitterent. Tanta illi viro auctoritas erat, ut quamvis precario tantum utens imperio, quaſi Dominus,quo libitum, ferocem populũ impelleret. Quæ dum in Hollandia geruntur, Theodericus quoque gravi prœlio victum Balduinum tota exturbaverat Walachria. Pluſquam triginta Flandrorum millia ſcriptorum aliqui, ſupra quindecim cecidiſſe omnes memorarunt. Primoque hac pugna Flandros & Hollandos, ſuis viribus,ſine externis auxiliis congreſſos, Annalibus firmatur. Reverſus in Hollandiam Theodericus, fratrem è veſtigio perſequi, & Friſiorum vindicare rebellionem ſtatuit, cum Balduinus Trajectinorum Antiſtes, Theodericus Archidiaconus, & Benthemienſis Comes Otho, patrui utriuſque, cum matre Ada intervenere. Quippe fractum adverſis Wilhelmum, pacem ſuadentibus, facilius adſenſurum credebant. Itaque Egmundam (etenim illic agitabat) profecti,primo muliebribus matris Adæ blandimentis lenire animum aggrediuntur: ubi nihil proficiebant, Balduinus incipit: *Incaſſum ante tentatam concordiam nunc rurſum ſuadere coegit me communis patriæ, cognati Comitis, nec minus tua utilitas. Feriunt aures meas lamentantes ruricolæ, pulſi aut fortunis omnibus provoluti cives; miſerationem commovent vaſtati agri, diruta oppida, incenſi pagi, & tot millia hominum interfecta*

terfecta. Equidem mirari ſatis nequeo duratum adeo in fratris perniciem animum. Quod natura caritatis eſſe vinculum juſſerat, tu diſcordiæ incitamentum habes. Atque utinam iræ illæ non egrederentur vindictam ejus, quem petis. Si injuriam, ut fers, accepiſti, quare cives qui culpæ conjuncti non ſunt, in damnis pares, imo potiores facis? Adeone irritavit animum tuum, quod nuper ex Syria reducem, te tantis honoribus, tanta exceperunt lætitia? Quare patriæ vaſtitatem infers? An non cum infeſto exercitu pervaderes loca quæ te genuerunt, ſubiit animum horror, & religio? Potuiſti incendere tecta, quæ te foverunt? Immitis animi cognate, quanto melius fuiſſet perſequi infeſtum religioni noſtræ hoſtem, & arma pia pro Chriſti regno gerere, quam in Principem, in cives ejuſdem Patriæ, implacabile odium, & truculenta arma ſuſcipere. Non ignoro, inſitum à natura mortalibus ultionis deſiderium, & infenſo eſſe animo quiſquis injuriam accepit. Sed dedecus illud olim neſcias Dei gentes maculaverit: Chriſtine diſciplinam profeſſus, & toties in Numen injurius, remitti delicta ab illo quotidie poſtulare audes; ipſe quamvis levem offenſam condis, & odia retines ut mox acrius ardeas? Crede cognate, ſi cæteros ex tuo animo æſtimemus, aut parum religioſi ſunt, qui pietatem tot bellorum ſibi adverſum Saracenos cauſſam eſſe ferunt, aut multum tu ex barbarorum indole traxiſti. Promtus ad iras, odia retinens, ſpernis patientiæ monita adferentes. Pudet dicere fruſtra oratum à matre filium. Cave, Wilhelme, parentum preces adſpernandas putes: imperia ſunt; certe eſſe debent: quæ quiſquis neglexit, ſenſit ultorem Deum. Illum rogo, ut mitis adverſum te, quam juſtus eſſe malit: te hortor, ne vilem adeo famam tuam habeas. Iam vulgo te penatium patriæque tuæ hoſtem, principem rebellium, atque inſtigatorem differunt. Quod ſi præſentem famam adſpernaris, noli meliora à poſteritate judicia exſpectare, quæ etiam ſecreto peccata libere in lucem protrahit: quanto magis palam & per vim commiſſa! Proin ſatis ſit ſemel civili ſanguine manus infeciſſe, & tot miſerorum exitium provocaſſe. Imperii partem petis? facilius voluntate fratris, Patrumque, quam per arma acquires. Nemo dominantium coactus ad beneficium aut eſſe, aut videri vult. Obſequio, & comitate, ac reverentia illa impetranda ſunt: quæ ſi induere placet, & pacem

Digitized by Google

cem quam vis, & honores quantos cogitas, à fratre te habiturum ſpondeo. Ad ea Wilhelmus: *Quantum*, inquit, *gratiarum veſtræ ſollicitudini, tantum irarum fratris iniquitati debeo: nec ille modo, verum quotquot iiſdem in partibus ſunt me hoſtem experientur. Proin rogo, ne vos incaſſum fatigetis: nam aut armis, aut nunquam quæ expeto adipiſcar.* Balduinus ubi inanem operam ſuam advertit, fratre Theoderico apud Wilhelmum relicto, ut nihil eorum, quæ mitigando eſſent, intermitteret, ipſe cum fratre Othone Harlemum ad Theodericum abit, cognita Comitis mente, facilius deſtinata proventura exiſtimans. Digreſſo eo, Wilhelmus, multa per noctẽ volvens, & re utrimque perluſtrata, tandem vocari patruum Theodericum jubet, eique, variis ſermonibus pertentato, ſpem pacis facit, ſi æqua à fratre promitterentur. Theodericus, quanto res inopina magis tanto lætior, ilico fratrem conſecutus, quæ audiviſſet ordine Harlemi aperit; promto ad veniam Comite: nam quamvis turbatori juſte infenſus, dandum aliquid feroci ejus animo, & plus ſanguini rebatur. Forteque ipſe mox Wilhelmus adfuit, dubium ſua ſponte, an ſuaſu alieno. Quem Comes placide ſuſceptum, poſtquam patruorum ac matris diligentia pax convenit, Patrum conſenſu Oſtergoa ac Weſtergoa (ſed ſupremo ſibi jure reſervato) ac trecentis inſuper libris ex portorio Gervlitano, ſingulos in annos donat. Igitur Wilhelmus aſſignatam ſibi ditionem petens, totam à Flevo Lavica tenus Friſiam poſſedit. Vnde Friſiorum, qui noſtra ætate ſcripſerunt, error patet, quibus proditum, nunquam loca illa Comites noſtros tenuiſſe. Friſiorum in confiniis illa tempeſtate validiſſimum caſtellum Henricus quidam Cranius tenebat, gravis vicinus, ob crebras excurſiones: quas tamen non ſine alterius ope auſum crediderim; & fortaſſe innexus conſcientiæ Comes erat; quod ſuſpicari me facit benignitas qua pulſum poſtea in ſuam recepit ditionem. Wilhelmus, ut erat calido animo, flagitii ratus inultum hoſtem dimittere, coactis Friſiorum

copiis, quorum ſibi animos mire devinxerat, obviam it. Du-
plex hinc fama: alii congreſſos, & octona millia è Cranii exer-
citu proſtrata, alii nihil de prœlio, ſed circumventum in ca-
ſtello, obſeſſumque ferunt. Vt ut erat, expugnato caſtello, &
adempto imperio, exul Cranius ad Theodericum Comitem,
& Balduinum Antiſtitem ſe recepit, quos Wilhelmo ob id in-
fenſos fuiſſe traditur. Et conſtat non tutum modo perfugium
CIↃC illi, ſed honores à Theoderico oblatos. Inſecuto anno, qui e-
XCVI. jus ſæculi poſt nonageſimum ſextus numerabatur, Balduinum
Epiſcopum gravi bello Drenthani involverunt. Cauſſa penes
Florentium Govordiæ præfectum; qui ab Othone Benthemi-
enſi Comite ſæpius apud Epiſcopum delatus, tanquam finiti-
mis gravis eſſet, & metuens ne fratris caritate præfectura ſe
Antiſtes per occaſionem ſpoliaret, turbas dare, quam inopi-
nato opprimi maluit. Adeo ut furtim ante tentatas populatio-
nes, jam palam auderet. Quod ut Epiſcopo nuntiatum, proti-
nus Covordam obſidet; & Florentium cum privigno Folkero
ad deditionem adactum, cuſtodia includit. Covordæ præfe-
cturam Gisberto Poſſekino Hollando collatam, mox tanquã
indigno adimit, ſurrogato fratre Othone Benthemienſium
Comite. Id vero intolerabile Folkero viſum, poſſeſſam ſibi di-
tionem ab inimico teneri. Igitur parare, moliri, ut caſtello
Horſti, in quo detinebatur, evaderet. Ipſum Epiſcopum modo
culpæ confeſſione, modo blanditiis, & incorruptæ fidei pro-
miſſis mollire. Quæ poſtquam diffidente Epiſcopo parum ju-
vabant, nihilominus eundem ſimulans animum, jungit ſibi ma-
trimonio virginem, propinquam magnis in aula Epiſcopi viris,
quorum deprecatu, non modo libertatem, ſed & imperii par-
tem recepit. Tum demum, poſita ſimulatione, Drenthanam
juventutem in arma rapit. Tractique in partes Groningani,
præfectum quem Epiſcopus dederat prius interficere juſſi, ut
delictorum magnitudine ſpem veniæ prævenirent. Nec de-
fuere

Digitized by Google

fuere Folkero auxilia Geldrorum, qui occulte Hollandis infenſi incendio alimenta quævis ſubjiciebant. Tandem apertum in bellum proruptum eſt: quod, ad Balduini uſque mortem vario eventu continuatum, quia extra inſtitutum meum eſt, memorare ſuperſedeo, contentus oſtendiſſe originem armorum, quibus poſtea Hollandorum ſe Comites miſcuere. Anno duodeci- CIↃ C
mi ſæculi ſeptimo ſupra nonageſimum Balduinus Antiſtes de- XCVII.
fungitur. Fato ejus motæ Trajectinorum res, dum qui cis Iſalam colebant defuncti fratrem Theodericum, tunc Archidiaconum, Tranſiſalani Arnoldum Iſenburgicum ſucceſſorem volunt. Illi Theodericum Hollandiæ Comitem, hi Geldrum, inſtigante haud dubie Folkero, partis ſuæ ducem elegerunt. Perfertur interea ad Henricum Imperatorem, diviſam in partes Trajectinam ditionem, & ni occurratur, jam jam in bellum prorupturam. Quod ſua auctoritate præveniri poſſe, & ceſſurum ſponte, ratus, qui Cæſarem adverſum habuiſſet, Theoderico Epiſcopatum concedit: & quo integrum animum, & juſtiorem apud ſe cauſſam prævaluiſſe oſtentaret, mittit utrumque ad Pontificem, ejus arbitrio rem totam permittens. Abſentia eorum, cum adverſis Comitum ſtudiis nihilominus fluctuare Trajectinos videret, Theoderico Comiti pro tempore urbis atque imperii curam committit, volentibus qui cis Iſalam habitabant. At Tranſiſalani, inſtinctu Geldriæ Comitis, & Folkeri, obſiſtentes, tributa hactenus pendi ſolita abnuunt. Non tulit pervicaciam Hollandus, educit militem, agrumque Velavianum ferro atque igne pervaſtat. Ea fama excitus Geldriæ Comes ultionem parat, & ad Haymonis montẽ, quæ tunc Theoderico ſedes, propere militem rapit. Nec mora penes Comitem, quin certaretur. Numero inferior, hortatur ſuos ut *tanto acrius prœlium capeſſerent, quanto ex paucitate plus decoris in victoria. Exiguo enim numero ad impellendum hoſtem opus, ceteram multitudinem ad famam tantum. Eſſe ipſis virtutem, & memoriam*

toties rerum proſpere geſtarum. Proin id unum cogitarent, in fuga perſequentes non numerari. Simul hæc, & ſuos in hoſtem ducit. Qui impar ruentibus mox terga dedit. Captus ingens numerus, occiſi in incerto ſunt, incuria ſcriptorum, quis victoriam, non magnitudinem ejus, prodere pretium fuit. Comes ſuperato hoſte, Horſtum conceſſit. Quem paullo poſt Wilhelmus frater adiit, gratandæ victoriæ; quamvis diſſuadente prudenter matre Ada, quæ pulſo Cranio, immutatum Theoderici animum, & alienum fratri adverterat. Sed Wilhelmus, inſita animi magnitudine, metus, quos muliebres rebatur, contemnens, perſequitur deſtinata, & congreſſus, vultu, moribus, comitate, quâ fratrem decet, excipitur. Aderat forte Comiti Cranius, qui memoria cladium infenſus, adſidere menſæ parantem cum Theoderico Wilhelmum comprehendit, & cuſtodiæ, connivente Comite, intrudit. Vnde quorundã induſtria elapſus, ſtatim ad Geldrum profugit, ſocium quondã Hieroſolymitanę expeditionis, eoque addictiorem. Sunt qui non interceſſiſſe Cranii conatibus Comitem arbitrentur, quaſi frater vultu ad gratulationẽ compoſito, Geldri calamitatem ſecreto deploraſſet. Quam ſuſpicionem auxit mox deſponſata ei Geldriæ Comitis filia Adelheidis. Nam qui ductu Cranii miſſas à Geldro copias ad invadendam Orientalem Friſiam prodidere, parum mihi gnari hiſtoriæ videntur; cum Cranius à Wilhelmo, ut ſupra oſtenſum eſt, pulſus, ad Theodericum, ejuſque patruum Balduinum Antiſtitem tranſgreſſus ſit, & nunc operam adverſum Geldriæ Comitem impenderit. Igitur Wilhelmus eluſis cuſtodibus elapſus, accepta ſponſa ad Friſios remeavit, ac ſolemnia nuptiarum magna cum pompa Staveræ tranſegit. Orti poſtea illo ex matrimonio ſunt Florentius, Otho, Wilhelmus, Ada, & Richardis. Eadem tempeſtate (annus agebatur poſt exacta undecim ſæcula octavus & nonageſimus) finis Geldrorum
CIƆ C XCVIII. bello impoſitus, & pacis vinculum Theoderici filia Adelheidis Hen-

Henrico Othone genito conjux promittitur, quando juſta utrique ætas veniſſet; quam ante uterque extinctus eſt. Concordiæ Principes reddiderat fatum amborum, qui à Trajectinis delecti Romam abierant: unde ſucceſſor datus Theodericus Aranus. Qui ære alieno oppreſſus, in Friſiam Wilhelmo poſſeſſam contendit, tributum exſolvendis debitis poſtulaturus. Sed Staveram vix attigerat, cum monitus à Wilhelmo cœptis ut deſiſteret, & minas aſpernatus, Oſterzeam mox à milite captivus abducitur. Evaſit tamen monachorum, ac Friſiorum quorundam miſeratione, ac re infecta domum reverſus; & quia invalidum ſe petendę ultioni videbat, retinuit iras. Eodem tempore à Friſiis occidentalibus, nunquam ſatis quieta gente, turbatum eſt. Quos contra, avorum exemplo, media hieme profectus Comes, quia æſtate aquæ cuncta inacceſſa faciebant, levi prœlio Drechtenſes ſuperavit: cæteris coercendis terror ſuffecit. At in Germania motæ res fato Henrici, qui inter Imperatores ejus vocabuli ſextus, impuberem filium Fredericum reliquerat: cujus tutelam adeptus patruus Philippus, mox quoque imperium obtinuit, conſenſu Electorum, qui avidum dominationis advertebant. Pontifex jam ante Germanis ſignificato, ne imperare Philippum paterentur, ut nihilominus faſtigio potitum intellexit, inſtigat Colonienſem Epiſcopum, ut alium Imperatorem diceret. Ille facilius quæri Imperatorem quam imperium ratus, primo Angliæ Regem Richardum, tum Flandriæ Hollandiæque Comites adit, auxilia poſtulaturus. Vbi adſenſere, & abunde auxiliorum tutando quem nominaſſet, eſſe exiſtimavit, Othonem Saxoniæ ducem deligit. Et quia Aquiſgrani coronandus erat, ſociorum auxiliis, ejecto quod validum Philippus urbi impoſuerat præſidio, ferrea Caroli Magni corona inauguratur. Iam tertii poſt decimum ſæculi alter annus venerat, cum Theode- CIↃC
rico Trajectinorum Antiſtiti Comes bellum intulit, vindica- CII.

 turus

tibus cæditur. Simul in agrum Trajectinum impetu facto, pagorum nonnullis incendio fœdatis, onuſti ſpoliis domum remearunt. Nec tamen Comes, bis mille argenti marcis libertatem adeptus, abjurato prius, ut auctor Divæus, omni in Bredanos jure, violatam pacem vindicavit, facilis ad ignoſcendum. Excipit annus, quem lætum Hollandis ob rerum pacata, luctuoſum fecit Theoderici Comitis fatum. Dordrechti in morbum delapſus, ut ſuprema ſibi tempora inſtare ſenſit, Wilhelmum fratrem Friſia evocari jubet, filiæ ac ſubditorum curam ei commendaturus. Sed particeps voluntatis conjux Adelheidis, moras nectens, per diverſa eluſo Comite, pauciſque nobilium in conſcientiã adhibitis, Ludovico Loſſenſium Comiti filiã Adam deſpondet, ignaro marito, ignaris Patribus, ut poſt mortem ipſa dominaretur: quippe inſperati matrimonii compotem, facile ſibi relicturum rerum ſummam exiſtimabat. Simul ergo Loſſenſis acceſſit, ſubſiſtere eum in finibus, & mox ingraveſcente Comitis valetudine, Holtenam (Dordrechto propinquus locus eſt) venire jubet. Vt Theodericum tertio & decimo imperii anno, II Non. Novembr. mors rapuit, è veſtigio memoriam luctus, Loſſenſis cum Ada nuptiæ deleverunt. Tam facile dominandi cupida mulier caritatem mariti, & communis ſobolis parentem oblita eſt: egregio documento adſtruens ſexus ſui impotentiam. Tranſactis nuptiarum ſolennibus, verſæ curæ ad ſuprema Theoderici; cujus cadaver Egmundam tranſlatum, & majorum monumentis impoſitum eſt. CIϽCCIII.

FINIS LIBRI SECVNDI.

MAT-

MATTHÆI VOSSII

ANNALIUM HOLLANDIÆ ZELANDIÆQUE

LIBER TERTIUS.

SEd diverſa in parte ingens Wilhelmum Friſiorum Comitem triſtitia invaſerat ex fine Theoderici: augebat mœrorem, quod ſolatiis adficere decumbentem, & noviſſima verba excipere non licuiſſet, cum non obſcuris indiciis ſibi deſtinatam tutelam conjectaret. Simul ut ferme ſuſpiciones, quamvis abdita, penetrant, Adelheidis perfidia celatam ægritudinem, haud falſo interpretabatur. Etenim varia occurrebant, mens luctu intacta, fœde celeratum filiæ matrimonium, & cum impare, violata Patrum auctoritas, nova omnia & ſine exemplo, eoque acriora incitamenta doloris. Quem tamen in occaſionem differendum ratus, quod unum pietatis officium reſtabat, Zipam petit, juſta fratri ſoluturus. Sed quia impotenti feminæ haud temere credendam ſalutem rebatur, præmittit ad Adelheidim qui tutum acceſſum poſtularent. Quo negato, ira inflammatior in Friſiam remeat. At illi prohibitus Hollandia affinis pro ingenti victoria erat. Quippe male parti imperii conſcia, nihil non timebat. Averſi Patres, infenſa nobilitas, commotum vulgus; quod facile in turbas novi Principis deſiderio erupturum reputabat, ſi autoritas acceſſiſſet. Igitur coalita

Digitized by Google

alita jam quodammodo Loſſenſis auctoritate, firmandæ dominationi novas leges, nova ſtatuta cum exteri imperio inducit, fremente nobilitate, quæ cuncta ad dominationem tendere advertebat. Nec Patribus ea probabantur; quorum nonnulli Wilhelmum è Friſia arceſſendum cenſuere. Conjurationis capita erant, Philippus Waſſenarius, Ioannes Riiſwicenſis, Wilhelmus Teilingius, Gualterus Egmundanus, Albertus Baiartus, & Iacobus Leidæ Burchgravii titulo præfectus. Horum mox auctoritatem ſecuti plures, poſtquam ſæpius convenerant, tandem communi conſilio legatos ad Wilhelmum mittunt. Vbi acceſſere, qui legationis potiſſimus erat, *Quod imperii curam*, inquit, *quam frater moriens tibi Comes tradere deſtinaverat, nunc in alium collatam vides, cum primum vindictæ ſtimulum habes. Quippe Adelheidis ſubdole maritum per moras eludere non ante deſtitit, quam voluntati ejus ſuprema neceſſitas intercederet. Si hic injuriæ ſtarent, ſatis cauſſæ erat, feminea fraude ereptum regimen repetundi. Sed enim præterquam, quod noviſſimis frui amplexibus, ſupremum excipere ſpiritum non licuit, etiam juſta funebria fraternis lachrymis carere debuerunt:. Iam & Patribus & te inconſulto Ada Loſſenſi deſponſata, & externa ſubire imperia Hollandi coacti ſunt. Scilicet tenendæ Reip. cupido muliebrem animum tranſverſum egit. Hac ſpe fœde celerata ab ea nuptiæ, & delectus filiæ conjux, cui placita ſocrus ſuprema lex eſſent. Sed nimium errat Adelheidis, ſi liberum populum externa juſſa accepturum, ſi viros in feminæ reverentiam ituros ſperat. Qualiacunque imperia femineis ante habent: & potius deligent ipſi Principem, quam impotentiam ejus tolerent. Interea manet ſic quoque amor in veterum Comitum progeniem, durat reverentia domus, cui tertium jam ſæculum paruere. Eam ob cauſſam, Comes Wilhelme, maxima patris Florentii ſoboles, defuncti Comitis frater, te oratum venimus, ut patriæ, ſub tyrannide gementis, curam ſuſciperes. Parentis tui ſolium femina cum extero tenet: præclare à majoribus tuis ſtatuta evertunt. Te, quamvis nullas irarum in Adelheidim, nullas nos adjuvandi cauſſas haberes; tamen juſti & æqui caritate, ſuccurrere miſeris, & oppreſſam eri-*

Digitized by Google

pere Rempublicam oportebat. Nunc fratris, & Patrum voluntate ad tutelam Hollandorum electus, totius fere gentis votis expetitus, quid moraris tyrannidem incipientem diſturbare? Palam tibi Zelandi favent, Hollandi metu fidem fingunt, quia cervicibus imminet armata Adelheidis. Sed & illi ſimulationem, abſcedente metu, abjicient, nec tibi adverſum tyrannos labore, præter acceſſum, opus erit. Erat Wilhelmo inſita imperii cupido: itaque ubi offerri ſummam rerum, & opem poſtulari vidit, nihil cunctandum ratus, in Hollandiam protinus nullo conſcio, & ſine comitatu contendit, quo Loſſenſi inopinatus ſuperveniret. Ergo nocte intempeſta auſtralem ſinum tranſgreſſus, quammaximis itineribus ad Philippum Waſſenarium, de acceſſus tempore ante monitum, venit; ubi ſecreto, & ignaris domeſticis, intra ædes habitus. Cæterum quia periculum in mora, & cum tempore Loſſenſis auctoritatem coalituram prævidebat, ſumto inſolenti habitu, & pileo vultus partem occultanti, ita ut vix à familiaribus agnoſceretur, Zelandiam ſecurior petit: ubi prona in eum cunctorum ſtudia erant. Et jam de adventu facti certiores, Hardnicam naves eum tranſportaturæ in promtu ſtabant. Simul eo venit, ternis modo conſiliorum conſciis comitatus, navem intrat. At ſocii navales, quos metus, donec Hollandia attinerentur, occupaverat, ubi, anchoris ſublatis, eo ſoluti, ſpargere laudes, ſalutare Comitem, & majore impetu quam conſilio, abjurare Loſſenſis & Adelheidis dominium. *Cedendum Adæ, cedendum extero, ſuperſtite maſcula ſtirpe Comitis Florentii, qui Syriaco, qui Friſico bello, virtutis præclara dediſſet documenta.* Vt Zirixeam perventum, inopinus Wilhelmi adventus, & pueros, & mulieres, & ſenes domo ſua excivit, qui obviam effuſi, fauſtis acclamationibus exceperunt. Sed alia Wilhelmus animo volvens, id unum agitabat, patriam Loſſenſis, & Adelheidis imperio liberare. Interim & in Hollandia (ut præſente Wilhelmo convenerat) ſuis quiſque locis conjurati popu-

Digitized by Google

populum concitabant. In quis Walterus Egmundanus, & Albertus, totam Kenemariam in verba Wilhelmi adegerunt. Tum ſcripto milite Harlemum properant, urbem, & Loſſenſem, ac Adelheidim, omnium quæ gererentur ſecuros, illic agitantes, intercepturi. Fuiſſetque patratum bellum, ni eos, cognito Kenemariorum adventu, fugere ſuaſiſſet Walterus Rimenſis. Noctis beneficio evaſi, Trajectum ad Epiſcopum venere, ut pronum illis, ita infeſtum Wilhelmo. Dilapſo conjuge, ac matre, Ada Comes neceſſitati cedendum rata, auctoribus, & comitibus ſimul, Rogero Mathemio, ac Hugone Vornano, Leidam cum nonnulla militum manu proficiſcitur. Non latuit diu fuga Walterum & Albertum: qui protinus caſtris motis oppidum circumdant. Et jam indies concurrere in caſtra plures Hollandorum, Wilhelmo operam offerentes. Quippe Loſſenſi, & Adelheidi fugatis, obſeſſa Comite Ada, haud dubie victorem illum rebantur. Adegerat quoque Philippus Waſſenarius pagos Rheno adſitos auxilia ferre Wilhelmo. Quin & ipſa in urbe Leida multorum pro eo vota animique erant: adeo ut oppidani mœnibus diffiſi, dum arctiora indies omnia, minui annonam, obſidentibus contra augeſcere iras animoſque vident, deditione extremum caſum præveniendum putaverint. Rogero carcer, aliis in Loſſenſem pronis, aliæ à victoribus pœne fuere. Adam in Wilhelmi adventum reſervari placuit. Qui cognitis ſuorum rebus, propere in Hollandiam remeans, ineffabili obviæ multitudinis gaudio exceptus eſt. Adam Texalia inſula coerceri juſſit, cui præter nimiam libertatem, cætera tanto faſtigio ſolita adfuere. Occipiebat jam annus poſt exacta duodecim ſæcula quartus, CIↃCCIV.
cum Loſſenſis rebus adverſis vecors, circuire ſingulos amicorum, hortari, *ne licentiam ſubditorum, in alias quoque gentes tranſcenſuram inultam paterentur. Non illorum eſſe judicare, quem qualemve Principem accepiſſent, & ubi ſemel impune id abierit, poſſe regentium*

quoque optimos iniquis populi judiciis depelli, inſito mortalibus adverſum dominantes odio. Hæc ac talia diſſerens, traxit in partes Antiſtitem Leodicenſem, & Limburgi Ducem; mox & Flandrum, promiſſa ſubditis ejus telonii Gervlitani immunitate, & Comitem Hakenſem. Infeſtiorem cæteris Antiſtitem Theodericum Aranum ſpes bis mille librarum acrius exſtimulavit. Sequebantur adhæc Loſſenſem Iſebrandus Harlemenſis, frater ejus Gerardus, Ioannes Perſinius, aliique ex Hollandica nobilitate. Wilhelmus Comes, tanta belli mole territus, quam ſibi tutiſſimam putabat, Zelandiam repetit, Hollandia Florentio fratri commendata. In qua Walterus & Albertus Bajartus Kenemariis præpoſiti, Wilhelmus Teilingius, & Philippus Waſſenarius Rhiinlandis, ſive locis, quæ ad utramque Rheni ripam jacent. Ii, excitatis paſſim propugnaculis, acceſſus firmavere: quæ inter duo majora erant ad Rheni ripam foſſis ac vallo circumventa; huic Buſcho (à ſylva forſan vicina) illi Zuadenburgdamo nomen erat. Walterus & Albertus, interrupto Amſtelæ aggere, Kenemariæ aquas circumfuderunt: & poſtquam domi in tuto omnia erant, cum ſuis, quo libitum, ad populationes egreſſi, Loſſenſi faventis, Giſelberti Amſtelii arcem exuſſerunt. Incenſa etiam Muida & Weſopum oppidula, cunctaque Brokelam uſque, itidemque Trajectinus ager fœde vaſtatus eſt. Detecta eadem expeditione Simonis Harlemenſis perfidia, qui in Loſſenſem pronus, addictum Wilhelmo animum ſimulaverat. At Trajectinus Antiſtes Theodericus ſuorum clade irritatus, quia longum videbatur Loſſenſis adventum operiri, in Hollandiam ipſe irrumpit, & Buſchum munitionem, Florentio Comitis fratri cuſtoditam, obſidione cingit. Irritique conatus fuiſſent, ni Kenemariis, qui auxilio adventabant, hoſtium fraude averſis, præſidiarii ad Epiſcopum ſigna fidemque tranſtuliſſent. Ita Buſchum captum, captus Florentius, &

Horſti

Digitized by Google

Horſti cuſtodiæ intruſus. Fidens victoria Antiſtes inde Leidam uſque penetrat, obvia cuncta ferro & igne pervaſtans. Primuſque ille Trajectinorum Antiſtitum penitiora Hollandorum concuſſiſſe legitur, quod minus arduum dum illi, adventantis Loſſenſis metu, imperia Wilhelmi neceſſitate quam ſponte ſua accepiſſe videri mallent. Non dubitem arguere hic Wilhelmum ob deſertam Hollandiã. Etenim haud detrectaſſent milites certamen, ſi ſatis in duce animi perſpexiſſent. At illo rebus ſuis diffiſo, nihil mirum multitudinem quoque animos projeciſſe. Quæ inter, cum Limburgenſis aliorumque Principum auxiliis, grave in Hollandiam agmen Loſſenſis trahebat, diſſimilis per omnia Epiſcopo. Quippe ille, ut in hoſtes ferro graſſatus, huic pacatum iter, ſine agrorum, ſine jumentorum, ſine hominum noxa. Sub adventum ejus alia rerum facies, palam deficientibus qui ante nutaverant, & metu fidem ſimulantibus, quis Wilhelmi partes fovebantur. Dordrechti primo cuncta ad libitum conſtituit, exin cæteris in locis. Leidæ agitanti Simon Harlemenſis occurrit, nunc operam ſuam & fidem commendans, quam pro Wilhelmo palam hactenus erat ementitus. Exin, junctis cum Epiſcopo copiis, Harlemum Loſſenſis proficiſcitur, ad coërcendam Kenemariorum inſolentiam. Qui aquarum fiducia audentiores, poſtquam claſſe Trajectinos invaſere, non ſine clade ſua repulſi, in Kenemariam redierunt, redemta quadringentis libris pace. Wilhelmi conjux Adelheidis, cum reliquis earundem partiũ, Almendorpam Friſiæ pagum, haud procul Medenblica, profugit: unde commodus in Orientalem Friſiam trajectus erat. Friſios Loſſenſis intentatos reliquit, gnarus impedita paludibus loca haud tuto militari manu adiri. Cæterum recepta Hollandia vertit curas ad perſequendos qui Wilhelmum juverant. Walteri Egmondenſis domum incendit, S. Agathæ pagum, cui toparcha Albertus erat, diruit: reliquorum eadem fortuna fuit. Vnde redintegrata in Loſſen-

Digitized by Google

ſem ira, & conjuratio. Hæc dum in Hollandia geruntur, Flandri ductu Comitis Namurcenſis Walachriam occupaverant. Reliquas Zelandorum inſulas Hugo toparcha Vornanus ſubegit, vix cymba piſcatoria evadente Wilhelmo. Etenim ante navigio elapſurum veriti, cuncta hoſtes ſcrutabantur. Sed ille retibus tectus, dum nemo dolum ſuſpicatur, effugit. Nec tamen aut illi auxilium, aut Vornano imperium diuturnum fuit. Quippe à Zelandis, crudelitatem Hugonis, in ulciſcendis adverſis partibus, haud tolerantibus, revocatur, & mox Comes ſalutatus, diligentius cuncta curare cœpit. Et quia ſub idem tempus, orta ex tantis exercitibus cibariorum apud Hollandos inopia, Theodericus Aranus Antiſtes cum ſuis in propria redierat, mittit ad Walterum literas, quis ſignificatis quæcumque in Zelandis acta erant, ſimul eum hortatur, ut iterato armatam Kenemariorum juventutem Leidam rapiat; & ſe ſine mora affuturum pollicetur. Walterus adhibitis in conſilium Teilingio, Waſſenarioque, mox ſociis illis caſtra movet. Vorſchoti tunc Ludovicum agitantem, diſtrahebat captivitas Iſebrandi Harlemenſis; quem cum patruo Allino interceptum, Aſmendorpam ad Wilhelmi conjugem hoſtes miſerant. Itaque prius Leidam circumſideri, quam moviſſe Kenemarios intellexit. Trepidum eo nuncio magis perculere, quæ de Zelandorum defectione forte eodem tempore afferebantur. Vnde dubius, & quid in rem eſſet conſultans, ſtatuit primo cum Kenemariis confligere, priuſquam Hollandorum concurrentium numero, & Wilhelmi adventu firmarentur: quem munitis caſtris exſpectare videbantur. Et Hollandi novas illico ſpes pro Wilhelmo rapientes, certatim ſe iis aggregabant. Vt caſtra hoſtium caſtris contraria Loſſenſis poſuit, & milite producto fecit pugnandi poteſtatem, Kenemarii, non reputato, poſſe eum mora frangi, temere in aciem, prodeunt. Pugnatum eſt atrociter; ſed quia nec tyronibus ſat roboris adverſum veteranos,

Digitized by Google

ranos, nec paucis adverſum plures æquum certamen erat, pulſi non ſine clade ſunt Kenemarii. Deletuſque omnis exercitus fuiſſet, ni Wilhelmus Teilingius eximia virtute cum paucis quos ducebat, ingruentem hoſtem aliquantiſper ſuſtinuiſſet. Tandem & ipſe à multitudine circumventus capitur. Reliqui effuſa fuga pontem per quā ruebant oneraverunt, & magnam partem ſubmerſi ſunt. Alios vada incaſſum tentantes aquæ hauſere. Pauci omnino quis advenerant navibus, aut terreſtri itinere perniciem evaſerunt: & in his Waſſenarius cum Alberto & Waltero. Loſſenſis hoc prœlio concidiſſe bellum exiſtimans, ad ſocordiam verſus eſt, quæ ferme rebus proſperis gignitur. Sed Wilhelmus, quanto gravior clades erat, imminentem invidiam virtute præveniendam ratus: tametſi nec ipſe conſtanter, adeo triſtia toleraret, quin ſecretis ſubinde gemitibus iniquam ſibi fortunam quereretur, palam tamen vultum fingit, indictoque itinere, quæ prima faverat tempeſtate ſolvens, in Hollandiam appulit, loco cui Eoli vocabulum. Aderant ei Zelandicæ copiæ, & aliquanta Hollandorum manus: cui mox multo plures acceſſere, novam ſpem ſubjiciente ejus adventu. Poſtquam Wilhelmum, quem fugere crediderat, cum maximo exercitu Hollandiam ingreſſum Loſſenſis accepit, rurſum ut ante anxius, de belli ratione cum ſuis conſultat. Adeo brevem ille victoriæ fructum tulit, ſuaque ſocordia arceſſivit pericula, quis firmatis limitibus, & cuſtodita maris ora, occurrere in arduo non fuiſſet. Iamque moviſſe Wilhelmum afferebatur, cum illum ſubitus acceſſus à belli conſiliis ad quærendam pacem convertit. Cui impetrandæ Limburgenſis Dux ad Wilhelmum miſſus, ubi nihil ultra ſpei, pugnamq; poſtridie ſubeundam, ni Hollandia Loſſenſis excederet, intelligit; propere ipſe remeat, & dubiū corruptus à Wilhelmo, an copiarū magnitudine territus, hortatur Loſſenſem, ut morē poſtulatis gerat. *Intutum tibi*, inquit, *in Hollandia remanere, inſtante cum tanto exercitu Wil-*

Wilhelmo. Inviſus Hollandis, quid aliud quam eorum defectionem ſperare potes, quamprimum in aciem ibitur? Ego quidem, donec ſpei aliquid ſupererat, conſilio, milite, manu te adjutare promtus, id unum nunc denuntio, nolle me in certam ruere perniciem. Simul hæc; & cum ſuis iter arripit; tanta Loſſenſis conſternatione, ut exploratoribus propinquare hoſtem nunciantibus, Trajectum & ipſe protinus cum ſuis fuga peteret: cui celerandæ arma quoque nullo pudore abjecere. Neque Wilhelmus adipiſci potuit tam feſtinanter dilapſos. Ferunt auctores, trepidam adeo Loſsenſis ex Hollandia fugam fuiſse, ut regium in modum adornata caſtra, cum omni præda, hoſtium arbitrio reliquerit. Milites vero ejus, extrema conſternatione, etiam in altiſſimos amnes irruiſse, nullo periculo æſtimato, dummodo effugere manus Wilhelmi poſsent. Quare & gurgite complures periere. Nonnullos feminæ Hollandicæ, ex fuga retractos, Loſsenſis odio trucidarunt. Fugato hoſte, Wilhelmus ad reliquias belli exſcindendas, nobilium qui ei favebant caſtella petit: quorum alia vi, alia metu & ſpe incolumitatis, in poteſtatem ejus venere. At diverſa parte Trajectini, cum Hollandis Loſsenſi addictis, in Moſam amnem delati, Dordrechtum urbem capiunt, & direptam incendunt. Eodemque tempore Flandros quoque arma parare fama ferebat. Quam ob cauſsam Wilhelmus, undique novos inſurgere hoſtes videns, cum uno alteroque, etſi aliquo cum detrimento, paciſci, quam ſupervacuo bello ſe ſuosque implicare, conſultius putavit. Et quia minus à pace abhorrere viſus Antiſtes Trajectinus, cum eo in has conditiones convenit. Vt illi pro acceptis detrimentis mille libras penderet, & loca Orientalis Friſiæ Henrico Cranio ademta reſtitueret. Hollandorum qui Trajecti habitarent, Antiſtiti; Trajectini in Hollandia Comiti parerent. Captivi pactis excluderentur: qui deinde ære libertatem redemerunt. Facta cum Epiſcopo pace, quicumque Loſsenſi adhærebant, à Comite proſcripti. Iſebrandus

dus

Digitized by Google

dus tamen Harlemenſis, & patruus ejus Alluinus, quos Almerdorpam ad Adelheidim conjugem Wilhelmi miſsos ſupra demonſtravimus, tum & Arnoldus Riſwicenſis, ac frater ejus Henricus, in gratiam recipi, quia petebant, meruere; niſi quod bona fiſco adſcripta. Pleraque Comes iis, quorum notabilem in bello operam ac fidem expertus erat, diſtribuit; plurima Florentio fratri, à quo per idem tempus, (eratque media fere hiems) caſtellum Hugonis Scharpeniſſii eſt expugnatum. Vnde apparet, nonnullos quoq; è Zelandorum nobilitate in Loſſenſem pronos fuiſſe. Quem ne inſequens quidem annus quietum vidit. Etenim Flandros Duce Philippo ad reſtituẽdam ſibi Hollandiæ poſseſſionem excivit. Sed illos mox Wilhelmi in Zelandiam repreſſit adventus. At poſtquam in pacem quoque illi conſenſerunt, Loſsenſis, qui cum maximis copiis in itinere erat, nihil ultra ſperans domum repetivit. Pacata omni Hollandia Zelandiaque, WILHELMVS, primus extra ſuccedentium ſeriẽ, ab utroque populo Comes ſalutatur. Eo tamen nomine abſtinuit, tutorem ſe ferens, quamdiu Ada ſupererat, quam in Hollandia prolis exſortem procul à conjuge detinebat. Ex eo lætum Hollandis otium, & tranquilla omnia, niſi quod leves contentiones ortæ, inter Wilhelmum Egmundanum, & ejus loci Abbatem, ſuper Eccleſiæ inter Anemerſwetham & Winemerſwetham juriſdictione. Anno ejuſdem ſæculi tertio & CIↃCC
decimo à Ioanne Anglorum Rege Wilhelmus Comes auxilio XIII.
vocatur. Quippe magna mole bellum in Britannos parabat Gallorum Rex Philippus. Comes, rebus domi quietis, nec ullo ab hoſte metu, ingenti cum exercitu eo contendit. Sed Gallorum brevi conatus evanuere, turbante in Flandria Ferdinando. Qui Ioannæ Conſtantinopolitanæ, Flandriæ Comitis maritus, à Philippo una in Britanniam trajicere juſsus, parere abnuit, priuſquam ademta uxori loca redderentur. Vnde Gallus, nequid hoſtile à tergo relinqueret, arma in Flandros

Digitized by Google

vertit, expugnatoque Caſſeto, Ipra, & Brugis, comparatam contra Britannos claſſem Zuinæ portum petere, & maritimam Flandriæ oram vaſtare juſſit. His circumventus malis Ferdinandus, Bononienſem Comitem Reginaldum, infeſtum Philippo ob Moritoniam, Bononiamque ereptas, mittit ad Britannorum Regem auxilia poſtulaturum. Neque ille gravate aſſentit, lætus averſum à ſe impendens bellum. Abeunt ergo ad Flandros Wilhelmus Saresberienſis, & Hollandiæ Comes, quingentarum navium claſſe. Ii ubi Gallicas naves ante Zuinenſem portum conſpexere, ſine mora illuc curſum dirigunt. Et forte prædatum digreſſis tunc Gallis, claſſem præſidii nudam capiunt. Navium alias merſerunt, alias injecto igne exuſſere: trecentæ frumento vinoque onuſtæ, ut victoriæ argumenta, ad Britanniæ Regem miſſæ. Dein expoſito in terram milite Ferdinando uterque jungitur. Cæterum dum ſecurius populationibus indulgent, rati Gallorum Regem Gandavo ſegnem adſidere, imprudentes in manus ejus delapſi vincuntur. Sarisberienſis, Wilhelmus, & Ferdinandus in Zelandos, alii navibus conſcenſis in Angliam cladis nuntii, nonnulli vicinas in urbes fuga pervenerunt. Poſt victoriam Gandavenſes repetens Philippus, conſternatos clade Comitis, dare obſides adegit. Ipſe, præpoſito Flandris filio Ludovico, in Galliam revertitur. Nec multo poſt, contractis iterum à Wilhelmo copiis, Ferdinandus in Flandriam irrumpit, pulſisque paſſim præſidiis Gallorum, etiam Ludovicus fugere adigitur. Eo impetu Gandavum, Brugæ, Tornacum recipiuntur: dein & Inſulæ, quas ſuperveniens mox Philippus, ab habitantibus deſertas, incendit: & relictis Ludovico majoribus copiis, ob imminentem hiemem ſua iterum repetit. Quæ inter Ferdinandus poſtulandis auxiliis in Britanniam contendit. Ne medio tempore Flandris à Ludovico damni quidquam inferreretur, providit Reginaldus Bononienſis, vir ea tempeſtate militia clarus.

Comes

Digitized by Google

Comes utrum illam hiemem apud Flandros exegerit, in veterum ſilentio haud temere affirmâverim. Auſpicante anno poſt mille ducentos decimoquarto, Ferdinandus & Sariſberienſis, nova Anglorum manu, rurſum è Britannia revertentes, cũ Comite copias jungunt. Incenſoque Audomari ſuburbio, vaſtato Giſnenſi agro, denique & Caſleto in poteſtatem redacto, Atrebatum tenus cuncta devaſtavere. Et quia metus ſuberat, ne interea Brabantiæ Dux, Gallo addictior, alibi incumberet, Comes & Ferdinandus ditionem ejus ferro atq; igne pergraſſati, ad ultimũ Bruxellas, ubi ipſe Henricus Dux agitabat, munitionibus circumvenerunt. Ille diſtractis viribus, cum ſiſti hoſtem poſſe deſperaret, ejuratis Gallorum partibus, filios ſuos amicitiæ obſides dedit. Iiſdem temporibus legati ab Othone Imperatore ad Ferdinandum veniunt, opẽ promittentes, ſi ſociũ illum fœderis reciperent. Credebat quippe Imperator, horum ſe auxilio Gallorum Regem, Pontificis (à quo ipſe proſcriptus erat) ſententia Cæſareo faſtigio donatum, & hoſtium cæteros debellaturum. Nec penes Ferdinandum ulla fuit mora, quominus fœdus iceretur; & mox cum ingenti exercitu Otho adfuit. Quem ſecuti exin fœderatorum alii, Brabantinus, Dux Lotharingus, & Valeranus Limburgenſis, ſui quiſque militis duces. Poſtquam in unum contracti diutius conſultando tempus extrahebant, Gallorum Rex, improviſus in Flandriam irrumpens, Tornacum ſubigit. Quod ubi Othoni, cui ſumma belli tradita erat, nuntiatum, nihil motus, alia vincentem præmia manere dixit: & mox Moretaniam caſtra movit, adeo trepidante Philippo Rege, ut Flandria confeſtim excedere meditaretur. Igitur ſacro die, quo nihil tentaturos hoſtes confidebat, Inſulas repetit. Sequitur ſtatim Otho maximis itineribus, & noviſſimum hoſtium agmen adeptus, Burgundiæ Ducem obvertere ſe cædentibus adegit. Philippus Rex ut allatã prœlii neceſſitatem advertit, deſperato ſimilis aciẽ inſtruxit, & nequa fugæ ſpes reſtaret, pontem Bovi-

CIↃCC XIV.

Digitized by Google

nenſem abrumpit. Tum ſollicitato precibus Deo, ſuos in hoſtes ducit. Fœderati ex triplici acie mediã honoris cauſſa Othoni, cornu dextrũ Ferdinando & Sarisberienſi, lævũ Wilhelmo Comiti, Reginaldo, & Henrico Brabantino commiſerant. Prœlium ipſum diu anceps, nunc in hos, nunc in illos inclinante fortuna. Quippe diviſis paſſim globis pugnabatur. Noſtris fiducia ingens in multitudine, & hinc contemtus hoſtis: Galli, objectu fluminis fugæ ſpe ademta, quamvis acriter urgerentur, omnia tamen tentabant, etiam ſuccumbentibus glorioſum rati, non inulta morte cadere. Ergo in dextrum cornu acrius invecti, diſiecta Flandrorum acie, ipſum Ferdinandum, & Wilhelmum Sarisberienſem vivos capiunt. Vt hæc proſpere evenere, Othonis aciem aperto latere invadunt. Neque ille boni ducis officiis illo die defuit; ſed inexſpectato impetu hoſtis, quem conſternatum crediderat, perturbatus, & mox vulnere gravis fugam capeſſit. Sola jam ſpes in lævo cornu reſtabat, quo vehementer Comes & Bononienſis Gallos premebant. Nuſquam majori ardore depugnatum eſt, fuitque interea ſpatium Othoni, & reliquis, fuga ſalutem adſequendi. Tandem & Wilhelmum & Bononienſem, fortuna, non animus deſtituit: quippe tot ſociorum captis fugere indecorum rati, ad extremum uſque reſtitere, donec à multitudine circumventi hoſtium ſe arbitrio permiſerunt. Brabantinũ, qui in eodem cornu pugnabat fugæ, non puduit. Gallus haudquaquam pervicaciter fugientibus inſiſtendum ratus, ne deſperatione virtutem animoſque reſumerent, mox recta in Galliam contendit, celebraturus victoriam, quam Numinis magis clementiæ, quam ſuorum virtuti tribuebat. Hunc exitum prœlium ad Bovinas habuit, illis temporibus celeberrimum. Cæterum Ioannem Anglorum Regem adeo triſtitia hujus nuncii perculit, ut inducias in quinquennium cum Philippo Rege faceret. Quo tempore etiam è captivitate dimiſſus Comes, & in Hollandiam reverſus, diſſidia, quis longa abſentia

ſentia vel originemvel incrementa præbuerat, ſopivit. Inſecutus cladem Bovinenſem annus novo Wilhelmum bello involvit. CIƆCCXV
Ioannes Rex adverſis rebus & ſocordia ſua Anglorum contemtũ meritus, tyrannidem exercere in ſuos cœperat. Vtque facilius deſtinata provenirent, tributum Pontifici offerens, ejus ſeſe in clientelam dat. Hic vero palam omnis indignari nobilitas, & ab eo deficere. Ille moli impar, Brabantos; Flandros, Hannonioſque auxilio vocat fiducia latæ nuper opis. Horum viribus prœlio uno alteroque nobilitatem vicit, caſtellaque eorum cepit, aut evertit. Regis exemplo ſubditi quoque externa auxilia arceſſenda rati, florentibus tunc opibus Gallorum, legatos ad Ludovicum Regis filium mittunt: nam parentẽ induciis retineri conſtabat. Iis mandatum, ut Ludovico regnum offerrent. Qui ad occaſio- CIƆCC
nem paratus, anno ſæculi hujus ſexto & decimo trajecit, ſpreto XVI.
Pontifice Romano, tametſi dira cuncta minitabatur. Eo tempore quid Wilhelmum Galli partibus accedere adegerit, ignarus, ſuſpicor tamen priore bello habitum ab Anglo indignius. Fortaſſis & ſtimulum ſubdidit promiſſa ei à Ludovico Scotia, ſi gentis Rex ſuppetias Iohanni veniret. Id enim ex Annalibus conjecto: qui tamen in temporum ratione plurimum aberrant. Certe Ludovicum non alia perinde ratione Scotos ſubacturum fuiſſe conſtat, quam ſi Regem iis gentica matre & proavis ejuſdem faſtigii ortum promitteret. Nam mater Wilhelmi Ada, Henricum patrem, Milcolumbum Scotorum Regem avum habuerat. Igitur poſtquam in Angliam veniens Ludovicus, & Comes, nobilitati conjuncti ſunt, univerſam ferè regionem ſibi ſubjecerunt, juvante quoque Scotorum Rege Alexandro. Sed dum ſociis Wilhelmus vacat, Loſſenſis adhuc veterem animum retinens, conſilia inire, & arma parare Hollandiæ recuperandæ orſus, non aliud egit, quam quod ex Britannia Comitem retraxerit: nam cum adventu ejus conata deſeruit. Ex eo tempore Ludovico improſperæ in Britannia

Digitized by Google

res fuere. Quippe defuncto Rege Ioanne, filium Henricum multi ſucceſſorem elegerant, adeo non repugnante nobilitate, ut pars ad eum tranſiret. Cum his ille, aciem auſus, rebelles fugavit, qui venia petita, dictum Ludovico ſacramentum protinus obliti ſunt. Adeo ut Ludovicus à cunctis deſertus, & incaſſum petitis à parente auxiliis, in Galliam inglorius reverteretur. Pacem tamen cum Henrico ante abitum fecit. Hæc
CIƆCC anno poſt mille quingentos decimoſeptimo geſta ſunt, quo re-
XVII. petitum eſt bellum ſacrum, inter cæteros quoque nomen dante VVilhelmo; cui præter Hollandos, Zelandos, & Friſios, etiam Colonienſes ſeſe junxerunt, ductu Adolphi Montenſium Comitis. Eo fine trecentarum claſſis neceſſariis omnibus inſtructa, Vlardinga ventis faventibus ſolvit, & Gallorum Hiſpaniæque oras prætervecta, præcipiti æſtate Olyſſiponem, Luſitaniæ caput, appulſa eſt. Pleriſque tunc Hiſpanorũ partibus Saraceni dominabantur, quondam Mauritania egreſſi, & Alchacia caſtello, haud procul Olyſſipone inſeſſo, finitima impune loca vaſtabant. Hac de cauſſa Epiſcopus Olyſſiponenſis, opportunum ſibi Chriſtianorum adventum exiſtimans, Comitem cæteroſque hortatur; ut priuſquam deſtinata exſequerentur, Hiſpaniam profanæ gentis metu liberarent. Aſſenſit VVilhelmus, & Georgius VVidæ Comes. Sed Friſii, & Germanorum reliqui, ductu Montenſis octoginta navium claſſe Syriam petiere. Gnarum Comiti erat, nihil hoc anno illis tractibus Chriſtianos tentaturos: itaque, quamquam deſertus à ſociis, exponit militem, & tertio Kal. Auguſti Alchaciam oppugnare aggreditur. Quo mox Luſitani frequentes convenere, indecorum rati, ſi alienæ opis indigi viderentur. At Saraceni, nuntiato premi obſidione Alchaciam, nec jam Hiſpanis à ſe vinci ſolitis, ſed Hollando milite rem geri, invicem legationibus fatigant, ad eripiendos periculo obſeſſos. Moxque Hiſpalenſium, Cordubæ, Badalonzii, & Ieheni Reges in conſpectu
Alcha-

Digitized by Google

Alchaciæ caſtra poſuere. Comes, cujus arbitrio cuncta gerebantur, præſidii quantum ſatis caſtris relinquens, obviam hoſtibus progreditur. Et poſtquam intra teli jactum veniſſent, id modo hortatus ſuos, ut priſtinæ virtutis memores eſſent, haud longa pugna Saracenos in fugam compulit. Duo Reges Cordubæ & Ieheni ceciderunt; cæteris ſalus pedibus parta. Militum millia quatuordecim interfecta; plurimi capti venum iere. Victor Comes Alchaciæ oppugnationem repetit, mœnibuſque machinarum violentia concuſſis, non ante loci potitus eſt, quam ſubrutis cuniculo duobus propugnaculis, per patentia miles perrumperet. E Saracenis cæſum quicquid in armis erat. Comes, exacto tempore, quod gerendis rebus aptum erat, Olyſſipone hiemavit; & inſequentis anni vere iter in Syriam perſequens Anconam appulit. Vbi collatis conſiliis cum Ioanne Hieroſolymorum Rege, Auſtriæ Duce, Pontificis legato, aliiſque, Damiatæ obſidium decernitur. Ea urbs Nili oſtium propter, quod Tanaiticum veteres nuncupavere, opportuniſſimo loco ſita eſt ad imperium maris, ut non immerito illa tempeſtate Ægypti clavis appellaretur. Habebatque adverſa in ripa contra ſitam validiſſimi operis turrim; unde catenæ fluctibus ſummis tectæ, ad urbem pertinebant, naves introitu excludentes. Neque alio loco exponere militem, & ut maxime expoſitus foret, obſidere urbem dabatur, quando commeatus intercipi poſſe ſatis conſtabat. Diu multumque incaſſum contra turrim laborato, & cæteris de obſidio deſerendo cogitantibus, Harlemenſium ſolertia lapſæ ſpei ſubvenit. Etenim ſerras cum navium proris adaptaſſent, plenis in portum velis delati, jactatione fluctuum catenas diſciderunt. Inde cunctis plurima alacritas, quia turrim navibus & milite circumvenire licebat. Sed & tum novus labor: quippe nec cuniculis locus erat, undique aquis cincta turri, nec dolabræ ad ſubruendum, dum ſaxa deſuper in ſubeuntes jactant Saraceni. Adverſum eos Germa-

CIↃCC XVIII.

ni Au-

ni Auſtriacique tollenonibus, priſco more, navibus ſuis ſuper-ſtructis, caſtelli faſtigium æquabant, ut prope æquo jam certamine pugnaretur. Cæterum emiſſum machina ſaxum ſtravit mox informe opus. Meliore fato Hollandi Friſiique naves duas funibus trabibuſque conjunxerunt; inque his quatuor erexere malos, ac antennas totidem; quorum faſtigio tigna inſtrata erant, craticulati operis lorica, & mox coriis obducta, excipiendis ſine noxa lapidibus, quæ hoſtilibus è machinis emittebantur. Ab imo ſurgebant ſcalæ funibus validiſſimis ſuſpen[illegible] & pedes triginta ultra proras prominebant. Id opus incredibili celeritate perfectum, inuſitata ſui ſpecie omnes in admirationem vertit: imprimis ob firmitudinem, quippe quamvis grandibus ſaxis illæſum reſiſtebat. Vt admotum caſtello eſt, ſacer ordo ſupplicationes Numini, cæteri prœlium ordiuntur. Nec ſegnes Saraceni lapides, liquefactam picem, ſulfur in oppugnantes effundere, donec telorum imbre victi, (nam turris ſumma opus æquabat, adeo ut jactibus paterent) ad interiora ſe recepere. Multi per feneſtras ſe præcipitantes fluctibus hauſti. Tenentibus ſummum tabulatum Chriſtianis, Saraceni, qui inferiora petierant, igne excitato, fumo rurſus eoſdem depulere. Qua de cauſſa nonnulli è navibus in terram, quæ anguſta turris imo prætexebatur, ſeſe demittentes, dolabris portam adgrediuntur. Ceſſeruntque tandem quamvis valida clauſtra, & Saraceni deſperata loci defenſione, Auſtriæ Duci certis conditionibus ſemet dediderunt. Tum in urbem verſæ vires, quæ triplici muro circumdata & inexpugnabilis videbatur. Vnde adſidere placuit, donec fame fatigarentur oppidani. Non ignarum Saracenis erat, quantum in urbe hac momentum foret. Itaque Corradinus, qui Saladino patre defuncto, imperium obtinebat, omnes copias cogit. Et ter, non ſine clade ſuorum, caſtra incaſſum aggreſſus, ad prœlium Chriſtianos provocat. Cujus fortuita vitare tametſi multum ſuadebat Hieroſoly-

roſolymorum rex Ioannes, prodeunt tamen illi, accenſi inſultationibus barbarorum. Neque diu temeritas pœna caruit: fuſi omnes grauiſſimam cladem accepiſſent, ni Rex Ioannes, huic militiæ adſuetus, ſuſtinuiſſet ad tempus barbaros donec ſe rurſum Chriſtiani in caſtra recepiſſent. Nihilominus ante placitis inſtitere, & totum annum in caſtris durantes, demum Nonis
Novembribus inſequentis anni Damiatam in poteſtatem rede- CIↃCC
gerunt. Quibus geſtis, cum aliis Chriſtianorum Wilhelmus an- XIX.
no poſt mille ducentos viceſimo domum revertens privatum CIↃCC
luctum invenit, extincta conjuge Adelheidi. Ejus in loco Leo- XX.
noram Lancaſtriæ Ducis filiam penatibus induxit. Sed nec ſuboles ulla ex eo conjugio, nec ille diu ſuperſtes fuit. Quippe
ſecundo & viceſimo ejuſdem ſæculi anno morbo correptus, CIↃCC
Nonis Februariis finivit, ſeptem & decem in principatu annis XXII.
exactis: primuſque Comitum Hollandiæ in Rhenoburgenſi cœnobio ſepultus eſt. Devolvitur imperium ad FLORENTIVM filiorum principem: qui è fratribus Othonem Friſiæ parti in Orientem vergenti, Wilhelmum Zelandis præpoſuit. Quippe paterno exemplo prudentior, malebat ſponte concedere, quæ alioqui per vim petituri videbantur. Ipſe poſtea Machtildim Henrici Brabantiæ Ducis filiam tori conſortem aſſumſit. Principio Florentii bellum inter Trajectinum Antiſtitem, & Geldriæ Comitem conflatum eſt. Geldrus mercatores Epiſcopi ad Lobekam detinuerat, motus eo, quod habitantes in Zallandia Geldri, tributis vexarentur à præfectis quos iis tractibus Antiſtes habebat. Zallandi injuriam fieri Geldro rati, eidem adhæſere: qua re ad maturandum bellum inſtigatus Antiſtes, cum Monaſterienſi Epiſcopo, & fratre Hermanno, Velaviam prior invadit, cunctaque hoſtiliter populatur. Occurrit ei ſtatim Otho Comes, haud procul Arkela: commiſſoque prœlio, victus & caſtris exutus, etiam complura caſtella amiſit. Cæterum protinus bellum reparans, vocat auxi-

lio Ducem Limburgenſem,& moto agmine,quia prœlium improſpere ceſſerat, caſtris ſuos tenet; profectum ratus, ſi progreſſus Epiſcopi ſiſteret. Vbi ille nihilominus procedebat,mittit legatos ad cognatum Florentium Hollandiæ Comitem. Qui paullo poſt conſcenſa claſſe, Lecca flumine decurrens, Trajectinum agrum invaſit, Geiniumque caſtellum captum incendit. Epiſcopus viribus ſuis diffidens, ſuper cæteros,quorum in caſtris auxilia habebat, etiam Gerardum fratrem arceſſit,Bremenſium tunc Antiſtitem. Eoque adveniente,firmatior viribus animoque ad Florentium tendit, prælio ſi ita res ferret decertaturus. Comes audito itinere Epiſcopi,ſuos caſtris coerceri juſſit, donec tuba ſignum daret. Sed priuſquam concurreretur, Conradi Portuenſis Epiſcopi, ejuſdemque Pontificis legati interventu, pax facta eſt iis legibus, ut Zallandiam Epiſcopus haberet, Geldroque Cliſtenſem tractum & Odiliæ montem traderet,pro jure,quod ſibi in Zallandos vindicaret: deinde & Florentio ob impenſas belli marcas numeraret octingen-
CIƆCC tas. Vix illa moles abſceſſerat, cum anno ejus ſæculi quinto
XXV. & viceſimo, graviori Antiſtes implicitus eſt. Groninganis, pulſis aut extinctis Superochiis, præfectum dederat Egbertum Gronenbergium,indignante plurimum Rudolfo Covordiano: qui, repetito veteri jure, ſibi præfecturam deberi adſerebat: & poſtquam Epiſcopus adverſabatur, Groninganis in partes tractis, arma Gronenbergio intulit. Egbertus conſtans animi obviam tendit; cæterum à ſuis deſertus, ægre incolumis ad vicinos Friſios pervenit. Rudolfus urbe potitus, præſidia diſponere, excubias, cætera neceſſaria intente curare; non ignarus aut Gronenbergium, aut ipſum Antiſtitem arma moturum. Nihilominus Gronenbergio cum Friſiorum juventute, quam exciverat, adventante, XI Kal. Majas rurſum urbe expellitur. Militi quidvis in oppidanos impune licuit, tanquam præfecti deſertores: qui nequid in poſterum ſimile auderent, caſtellum Gro-

Digitized by Google

Gronenbergius excitat. Interea cum nova Drenthanorum manu accedens Rudolfus urbem oppugnat: ſed Friſiorum virtute repulſus eſt. Antiſtes majus incendium ex primordiis talibus metuens, Rudolfum ab armis diſcedere, & ſuo ſtare arbitrio juſſit. Poſtquam parere abnuit, hoſtis pronunciatur: decretoque in eum bello, opem Antiſtiti tulere Geldriæ Comes, quippe jam pacatus, & Florentius, à quo Arkelius cum aliquot cohortibus Hollandorum miſſus. Adventante cum his copiis Epiſcopo, Rodolfus metuens ſibi fugæ ſe mandat, caſtraque ad Covordam ponit, ubi tutiſſima ſedes: nam tergum oppido, frontem ac latera paludum objectu muniebatur. Hic operiri Epiſcopum, &, ſi occaſio daretur, prœlii tentare fortunam ſtatuit. Itaque ubi ille aderat, lætus aciem inſtruit adverſus hoſtem paludis ignarum, & ſi ingrederetur jam debellatum. Epiſcopus non reputata locorum natura, tranſitum per paludes conatus, ipſe armis gravis, & milites tenaci cœno hæſere. Sine mora levis armaturæ miles à Rudolfo immiſſus involat, ipſumque Antiſtitem, cui cum palude ſatis certaminis erat, proſternit. Cadit quoque fortiſſime dimicans Arkelius. Geldriæ Comes vulnere non uno impeditus, & cum eo Gisbertus Amſtelius capitur. Vulgus promiſcue cæſum, aut captum. Rudolfus, cui conſtabat Antiſtitem occubuiſſe, mox inquiri cadaver, & poſtquam è palude extractum erat, impotens ſui, præſciſſo capite per caſtra circumferri ad ludibrium jubet. Addunt alii, nec illa quidem ſævitia ſatiatum implacabilem ejus animum; ſed detracta cute fœdum, & ipſis quoque victoribus triſte, ſpectaculum exhibuiſſe. Cæſo Epiſcopo, Florentius Trajectum ipſe profectus, petit ut Willebrandum Paderbornenſem Antiſtitem, propinquum ſuum, defuncto ſurrogarent. Eademque Geldriæ Comes (nam ſub fidejuſſione dimiſſus erat) ſuadere. Quorum commendationi quia accedebat ſumma viri pietas, mittuntur legati eum revocaturi ex itinere, quod Romam ſuſceperat.

CIƆCC perat. Ita ſexto & viceſimo illius ſæculi anno, Trajectina ſe-
XXVI. des omnium conſenſu illi defertur. Inſequente anno Rudol-
CIƆCC ſum bello petit, eumque prœlio victum, ſe ſuaque, promiſſa
XXVII. ante incolumitate, tradere coegit. Sed non multo poſt Ru-
dolfus pœnitentia deditionis, corruptis clam cuſtodibus, Co-
vorda potitus, neceſſitatem Antiſtiti attulit arma reſumendi.
CIƆCC Annus tum duodetrigeſimus agebatur, quo nihil dignum me-
XXVIII. moriis geſtum eſt. Nam induciis arma ad tempus poſita. Medio
tempore tendens ad Epiſcopum Rudolfus, à militibus ejus, dubiũ
jubente an ignaro, ſuſpenſus eſt. Is finis fuit rebellioni paullo fu-
ſius nobis memoratæ, quia nihil fere ſine auxilio Hollandorum
Epiſcopi geſſere. Eadem tempeſtate Florentio filius avo co-
gnominis natus eſt, qui poſtea Romanorum imperium obti-
nuit. De natalium loco contendunt urbes, Leida, & Harlemũ;
quarum illa plerorumque pro ſe opiniones habet. Exin alterum
quoque filium Florentium, & ſequioris ſexus Adelheidim ac
Margaritam Comes ſuſtulit: quarum hæc, Hennebergenſi Co-
miti nupta, fœcundiſſimo partu, fidem excedente, famam per-
petuam acquiſivit. Interea gravis Trajecti orta ſeditio, quam
Antiſtes incaſſum ſopire conatus, Florentii opem & auctorita-
tem imploravit, non ſine fructu: nam illius adventu cuncta con-
CIƆCC ſederunt. Triceſimo ejus ſæculi anno Comes ad fratrem Otho-
XXX. nẽ, quem Orientalibus Friſiis præfecerat, itinere ſuſcepto, gen-
tem illam, ut Friſiis annalibus traditur, ſibi alienavit. Cauſſa in
obſcuro eſt. Volunt tamen inde defectionem cœpiſſe: quod ego
ante Florentii fatum eveniſſe haud credo. Domum Comes re-
verſus, cum Theoderico Altenaæ & Wodrichemi toparcha,
ejuſque cognato Wilhelmo Hornano, de ſupremo earundẽ di-
tionum jure convenit. Iamdiu lis ea pependerat, utrum clientes
Cliviorum, an Hollandorum forent: ſed ipſi tabulis juramento
firmatis, rejecto Cliviorum Principe, Hollandis ſe ſubdide-
runt. Vnde liquet, Cliviæ Principem, quando anno ejuſdem
ſæculi

Digitized by Google

ſæculi nonageſimo, hæc loca Florentio, ejus nominis quinto Hollandorum Comiti, concederet, juri tantum ſuo ceſſiſſe. Proximo biennio nihil dignum memoria geſtum. Cæterum apud Trajectinos inſequente anno Willibrandus Antiſtes fato ſuo CIƆ CC functus eſt, nondum finito cum Drenthanis bello, qui poſt du- XXXIII. cis Rudolfi necem acrius exarſerant. Willibrando ſurrogatus Florentii frater Otho, idem Friſiæ Orientalis Comes, cum diuturno adverſum eos bello ærarium exhauſtum adverteret, quas in Hollandia poſſidebat dynaſtias, pleraſque vendidit, confectumque inde æs, publico adjecit. Ejuſdem precibus Hollandiæ Comes aggerem ab Ameronga Schonhovia tenus jecit, ſiſtendis aquis, quis Trajectina ditio tunc maxime inundabatur. Addidit tamen conditionem, ſi moles aquarum impetu disjiceretur, Epiſcoporum fore eam inſtaurare. Hæc præter alia quoque Trajectinorum commodo Florentius factitavit; plura tentaturus, ni expeditio adverſum Stadinganos interceſſiſſet. Eos, quia presbyterorum ſemet violentiæ opponebant, Pontifex ut hæreticos notaverat. Promulgatoque ſacro bello, quo promtius mobile vulgus, quod alioquin Stadinganis haud male cupiebat, arma caperet, fœda de iis fama diſpergebatur, viros in viros ruere, parentes cum liberis, fratres cum ſororibus inceſtu ſe polluere, dæmones & idola invocari, & ſiqua alia id genus vix hominum deterrimo cuique auſa. Inter cæteros Pontificis inſtinctu arma ſumſerunt, Florentius Hollandorum Comes, Henricus Brabantiæ Duci genitus, & Cliviæ Comes Theodericus; quis ſe complures è Geldrorum Flandrorumque nobilitate aggregarunt. Trecentas naves à Florentio ad id bellum coactas, in Flandrorum Annalibus reperio. Tanto apparatu ſolventes, emenſo mari Germanico, militem ex adverſo Bremæ exponunt, junctiſque cum Archiepiſcopo ejus loci copiis, & ſexto kal. Iul. Otmunda flumine ſuperato, caſtra in Oldeneſchorum campis poſuere. Stadingani ducibus Boleko

P 3 Barden-

Digitized by Google

Bardenfletano, Tammone Hunthorpio, & Thietmaro Aggerio, non minus animoſe bellum parabant: addebat quippe fiduciam innocentia, rebus quamvis exiguis, ſpei ingens munimentum, & memoria priſtinæ virtutis, qua magnas res à paucioribus adverſum plures geſtas eſſe reputabant. In ipſis Oldeneſchorum campis atrox certamen commiſſum, ancipiti diu Marte; donec Cliviæ Comes manum circumducere juſſus, à latere Stadinganorum aciem invaſit, disjecitque. Ex eo cædendo magis, quam pugnando, Comitis aliorumque manus fatigatæ ſunt. Sex millia latis campis ſtrata jacuere. E reliquis multi fugam tentantes, Viſurgi flumine hauſti ſunt. Pauci omnino in alias tranſgreſſi terras, ſedes quæſivere, in quis pacate exigere vitam poſſent. Poſt pugnam Stadinganus ager vaſtatus, oppida, pagi, denique & ipſa gentis memoria everſa, ac vacuus ager colere volentibus gratis datus eſt. Comite domũ reverſo, tanta ejus fama inceſſit, ut Drenthani exemplo Stadinganorum territi, mox ſeſe Othoni Antiſtiti ſubjicerent. Ex illo clarus indies, & major Florentius haberi, adeo ut adſpectus quoque ejus, ſeu ingens vel memorandum aliquid, à multis expeterentur. Cæteros inter Comitis Claræmontenſis conjux, deſiderio viſendi virum tantis geſtis illuſtrem, precibus maritũ fatigare non deſtitit, ut equeſtres ludos inſtitueret; quo Florentium quoque oſtentandæ armorum peritiæ venturum conjectabat, quando ſolitum illi talibus plerumque intereſſe. Cla-
CIↃ CC XXXIV. ræmontenſis, uxoris precibus evictus, anno poſt exacta duodecim ſæcula quarto & triceſimo, prope Corbiam ludos indixit. Eo cum Germani Gallique conveniſſent, illi Florentium, hi Nigellanum partis ſuæ ducem elegerunt. Ita diviſi certamen ineunt, è turri ſpectante Claræmontenſi, quem gravis ætas concurrere cum cæteris haud patiebatur. Conjux ejus, cura humani ingenii, dum identidem oſtendi ſibi Florentium poſtulat, provocavit ſenis ſuſpicionem, quaſi parum decorum matrimonio

nio deſiderium mente agitaret. Itaque commotus animi, *Scio*, inquit, *amorem tam flagrantis cupidinis tibi cauſſam eſſe, & hac ſpe ardentibus adeo votis ludos expetiviſſe, ut adulterum toro meo induceres. Proin ſatia nunc impuros oculos adſpectu Florentii Comitis, quem poſtremum hac luce viſura es. Adſpice illum inaurato clypeo, & rubri leonis effigie inſignem, qui Gallos tam acriter premit. Nam mihi immotum eſt avertere à penatibus flagitium tibi meditatum.* Hæc effatus, turri ipſe digreditur, & Gallis ſeſe jungens, Florentium, armis, non qualibus ipſe utebatur, in ſpeciem compoſitis, ſed veris invadit, moxque proſternit, fruſtra indicium Florentio facere tentante ejus conjuge. At non eo inultum ſcelus manſit. Quippe Theodericus Cliviorum Comes, qui Florentium ad ludos proſecutus erat, ut dolo malo cecidiſſe ſocium vidit, impigre gladios ſtringere ſuos juſſit, factoque in Gallos impetu Claræmontenſe confoſſo, reliquos in fugam aut mortem agit, donec multo ſanguine Florentii manibus parentaretur. Claræmontenſis uxor ſuper dolorem ex morte Florentii, etiam mariti fato conſternata, in morbum incidit, & hæmorrhoidibus tandem extincta eſt. Florentii exanime corpus in Hollandiam delatum, & Rhenoburgi monumento juxta parentis tumulum conditum eſt. Florentium, Principatu duodecim annis potitum, WILHELMVS excepit, inter Hollandiæ Comites id vocabulum ſecundus. Et quia ſextum ætatis annum vixdum exceſſerat, patrui duo Antiſtes Otho, ac frater ejus Wilhelmus Zelandorum præfectus, curã illius & Reipublicæ geſſerunt. Wilhelmum autem adjunctum à Patribus Othoni crediderim, quod hic Trajectinis rebus occupatus, in Hollandia figere ſedem nequiret. Occiſo Florentio, Drenthani rurſum in Othonem inſurgunt, qui maximo ex Hollandis exercitu coacto, agros eorum invaſit, captaque Covorda univerſam ditionem ſub imperium ſuum redegit. Anno qui ſæculi hujus ſeptimus & triceſimus erat, CIↃCC XXXVII. mota Colonienſis Archiepiſcopi in Cliviæ Comitem arma: qui viri-

viribus ſuis diffiſus auxilia à Wilhelmo Comite poſtulavit, obtinuitque: quippe eximius meritis in parentem ejus Florentium. Nonum ætatis annum agebat Wilhelmus, quando tutorum conſilio claſſe parata, ad hoc bellum Rheno amne navigavit. Comitem ei patruum Wilhelmum iviſſe, tametſi ſileant Annales, veriſimile eſt. Ego vero ſolum illum profectum, & errorem ex nomine ortum, propemodum affirmare auſim. In Cliviam venientibus prima de caſtro Haſpelenſi victoria fuit, quod Reſſito haud procul abſitum evertêre, properam deditionem ob metum faciente præfecto. Iam & Epiſcopus omnibus apparatis movebat copias, cum finitimorum armis excitus Geldriæ
CIϽ CC Comes, infenſos in gratiam reduxit. Proximum annum, nullis
XXXVIII. geſtis clarum, inter luctuoſos Hollandi habuere, ob fatum Wilhelmi tutoris. Qui, ut ante frater, equeſtri in ludo peremtus eſt, incertum quo loco, aut cujus manu. Anno ſæculi decimi
CIϽ CC tertii quadrageſimo Waſiani, qui jura olim ab Hollandis acci-
XL. pere ſoliti, poſtea ſub Flandrorum imperium permutatione Walachriæ conceſſerant, primas leges (quas keuras nuncupant) à Flandris accepere: imperium apud eos tenente Ioanna Conſtantinopolitana, Balduini filia. Cui quarto poſt anno
CIϽ CC ſine prole defunctæ, ſucceſſit ſoror Margarita nupta quondam
XLIV. Bochardo Avennioni, & trium ex eo filiorum mater, quorum primo Ioanni nomen erat. Bochardus olim Aurelianenſis Eccleſiæ ſubdiaconus, poſito munere & habitu Eccleſiaſtico ſeſe in Hannoniam receperat. Et quia ingenio ſolers, manu promtus, nec militiæ rudis erat, brevi eo claritudinis pervenit, ut proficiſcens adverſum Conſtantinopolitanos Balduinus dignũ exiſtimaverit, cui cum fratre Philippo tutelam liberum ſuorum relinqueret. Id muneris ille cum fide & prudenter exſecutus, ita ſibi populum ipſamque Ioannam devinxerat, ut Margaritam tutelæ ſuæ commiſſam, uxorem peteret, & non abnuente Iohanna duceret. Quo ex conjugio trina illi proles. At poſt-

Digitized by Google

poſtquam cœnobio eum effugiſſe palam factum eſt, Ioanna divinam iram verita, omnibus modis ſolvere matrimonium, ipſumque in vincula conjicere tentavit. Quibus ille inſidiis feliciter evitatis, Romam contendit, permovendo Pontifici, ut matrimonium approbaret. Cæterum ſuper repulſam, pœna quoque ei impoſita, ut adverſum Saracenos militaret, ac deinde in cœnobium reverteretur. Poſtquam exacto militiæ tempore in Flandriam reverſus, conjugem, & ſobolem ſuam adſpexit, vivum ſe excoriari malle, quam cœnobio rurſum claudi dictitans, iterum (ut Hannoniorum Annales teſtantur) ad Pontificem abit, & negatam ante matrimonii approbationem impetrat. Sed priuſquam patriæ reſtitueretur, in itinere morbo extinctus eſt. Flandri tamen, in contumeliam Hannoniorum, capitis ſupplicio ab Ioanna affectum tradidere. Extincto Bochardo, Margarita in domum Wilhelmi Dampetræ Burgundi denupſit, & ternos ex eo quoque liberos ſuſtulit. Ii cum adoleviſſent, jam rerum apud Flandros potiente Margarita, varios cum uterinis fratribus ſermones de ſucceſſione habebant. Intra verba tamen hæc manſere; quamquam ob fratrum audaciam indignaretur Ioannes Avennio. Vbi vero mater in partes diſcedens, Dampetræ filiis ſucceſſionis jus attribuit, juvenis Avennio, ſe ut illegitimo ortum toro rejici indignatus, avertit à parente ac fratribus animum. Adeo ut eo qui excepit anno non dubitarit, Ludovico Gallorum Rege coram, graviter expoſtulare, quod maternæ ſobolis, & ſucceſſionis jure primũ, imperio fraudare fratres conarentur. Fruſtra enim illegitimum connubium objectari, cum nullus ex matre ſpurius naſcatur, multo minus hæreditate excludi poſſit. Nec æquum eſſe parentis delictum, ſi modo id delictum foret, aut calamitatem filio nocere. Ac tunc quidem hac in re nihil Ludovicus Rex ſtatuit. Cæterum Ioannes Avennio, Wilhelmi Comitis ſororem Adelheidim matrimonio ſibi junxit, ut munimentum exigente

CIↃ CC XLV.

Q neceſſi-

Digitized by Google

neceſſitate contra matrem haberet. Margarita tamen, quicquid ille moliretur, Dampetræ natum imperii potiturum aſſe-
CIↃCC ruit. Quibus verbis uſque adeo exarſit Avennio, ut bellũ matri
XLVI. indiceret. Sed priuſquam in arma iretur, Ludovici Regis legatus, & miſſus à Pontifice Odo, intervenere, à quibus pronunciatum eſt, defuncta matre Hannoniorum Principatum Avennioni, Flandriam Dampetræ ceſſuram, parum acquieſcente Avennione, qui Regem donare quæ eripere nequiret, eripere quæ dare poſſet dictitabat. Ipſa etiam Margarita pronunciatis offenſa, legatos rogitabat, cur ſpuriorum ratio haberetur; curve illegitimo ortum conjugio Hannoniis Principem deſtinarent? Addunt Flandri, cum domum reveniſſet, Hannoniæ inſignia ſigillò ſuo eruta, Flandrorum inſignibus, quæ Dampetra habebat, addi curaviſſe. Vrebant interea Avennionem contumelioſæ matris voces, quis ut ſpurius proſcindebatur. Eam ob cauſſam ſæpius miſſis ad Pontificem legatis, ut ſententiam pronunciaret multum inſtitit. Qui tandem Petrum Catalaunenſem Epiſcopum, & Hugonem Abbatem Lætienſem inquirere juſſit in natales Avennnionis, & an ex legibus Bochardus cum Margarita matrimonium contraxiſſet. Hæc fuſius nobis exſequi viſum, ut ſtirps Comitum, qui poſtea Hollandis præfuere, & cauſſa belli inter Hollandos Flandroſque ſummis viribus geſti, in aperto foret. Cætera locis ſuis, ne hiſtoriæ ſeries interrumpatur, inſeremus. Tempeſtate illa Imperator Fredericus, Pontificis exſecratione, imperio dimotus erat: à quo delectus ſucceſſor Henricus Thuringiæ Comes anno hujus ſæ-
CIↃCC culi ſeptimo & quadrageſimo è vulnere perierat. Vnde ite-
XLVII. rum Pontificis juſſu ad dicendum Cæſarem Electores convenere: quorum Colonienſis, Moguntinus, cæterique Frederico alieni, conventum Nuſſiam indixere. Vbi diſpicientibus cunctis, quem tantæ moli parem, tam periculoſo tempore deligerent, quo omnia pene loca Cæſarianorum armis tenebantur,

Digitized by Google

tur, Henricus Brabantiæ Dux (nam & ille aderat) commendare cognatum Hollandiæ Comitem aggreſſus eſt. Elucere in juvene ingentem animi vim, prudentiam ſupra ætatem, & plus majeſtatis quam pro fortuna in qua nunc eſſet. Haud ægre ab cæteris aſſenſum eſt. Itaque vocatus Wilhelmus, ad Aquiſgrani obſidium parare cuncta jubetur, quando vetuſto more Cæſarum inaugurationes peragi illic ſolitæ: & tunc Frederici partes urbs ea ſequebatur. Tradunt Brabantini, auctoritate Brandonis Chronologi, inſignia imperii primo ad Ducem ſuum, ab illo ad Wilhelmum miſſa. Ego in re antiqua promtius acceſſerim autori fragmenti Hiſtorici; qui, electoribus hæſitantibus, Wilhelmum à Brabantiæ Duce commendatum ſcribit, imprimis cum eandem foveat ſententiam florens illa pene ætate Annalium ſcriptor Stokius. Qui & adjicit, Brabantum huc impulſum, quoniã juvenem ardentis animi, nequaquam ſuo imperio cupidinem habendi coercitu-rum conjectans, mallet turbatis Germanorum rebus involvi, quo ille à Patria, finitimi à bellorum metu procul forent. Nec falſo magnum Wilhelmi animum metuiſſe, oſtendent poſtea memoranda. Pontifex, audito Wilhelmum imperium ſuſcepiſſe, lætabatur, ob ſpem compeſcendi Frederici. Verum ne pecuniæ inopia ingentes conatus intercideret, mittit æs per Octavianum Cardinalem, additis aliquot comitibus. Quem in Alpibus deprehenſum Sabaudus, Cæſarianarum partium, ſpoliavit, adeo ut ægrè incolumis ad Wilhelmum perveniret. Ille jam proviſis cunctis, quæ ad obſidium Aquiſgrani requirebantur, caſtra movet. Sed in itinere cognoſcens, Conradum Frederici filium, ingenti cum exercitu adventum ſuum exſpectare, in Hollandiam redit, ſcribendis majoribus copiis, tum & ob imminentem hiemem. His confectis, initio proximi anni, (duodequinquageſimus tunc nu- CIↃCC
merabatur) iter repetit, &, Conrado cedere coacto, milite XLVIII.

 Aquiſ-

Digitized by Google

Aquiſgranum circumdat. Aderant ei vicinarum gentium auxilia, & in his Archiepiſcopi Colonienſis, & Leodicenſium Antiſtitis; quorum uterque & ipſi caſtra ſequebantur. Hos præter, Cardinales ſummi Pontificis duo, Petrus Caputius, & Octavianus, ſpecioſa, ſed ſine viribus nomina. In urbe validum ab Conrado præſidium, ſummaque rerum omnium copia erat, ita ut tota æſtas oppugnatione ſine fructu extraheretur, nullum periculum milite, ac civibus, pro Frederico & patria urbe ſubire recuſantibus. Cum vis parum procederet, Wilhelmus ex natura loci conſilium capit. Etenim in vallibus montium ſitam urbem prælabuntur frequentes rivi. Quis obſtructis, credebat poſſe aquarum multitudine perniciem intentari oppidanis, præſertim ſi autumno ſtagnantes aquas crebri imbres attollerent. Nec deſtituit ſpem fortuna. Quippe clauſæ undique aquæ brevi eo altitudinis excrevere, ut tota urbe non niſi navigiis commearetur. Obſeſſis tamen conſtantia manebat, adeo ut deditionem petente Wilhelmo caduceatores rejicerent. Sed cum indies aſſiduo imbrium lapſu auctæ aquæ majori impetu de montibus ruerent, & jam domorum tabulata æquarent, accedente ſimul penuria frumenti, metu exitii, decimoquinto Kal. Novembr. Wilhelmo ſe dediderunt. A quo nihil in miſeros durius ſtatutum, clementiæ fama ſemper utili, & maxime primordiis imperii. Cæterum ſubactæ urbis decus omne ſibi Friſii vindicant, gloriantes à ſuis jactam molem, cives campo ab Septentrione, unde ſumma vi ab aliis expelli nequiviſſent, exturbatos; nec aliorum virtute occupatum vallum, cum oppidani deſperata defenſione ſeſe traderent; denique ſuorum clementia exitio eos ereptos, & ob hæc merita liberum balnei uſum, quem in hunc uſque diem habeant, adeptos. Quin & Wilhelmum iccirco confirmaſſe à Magno quondam Carolo conceſſa libertatis privilegia, & in tabulis addidiſſe, ob virtutem ad

Aquiſ-

Digitized by Google

Aquiſgranum præſtitam. Ego ut nihil fortiſſimæ gentis decori decedere velim, ita nec temere accedo his, quæ vetuſtiorum nulli prodidere. Id conſtat, apud multos eorum laborare fidem, etiam ſolam hanc ob cauſſam, quia immodica de ſe prædicarunt, perinde ac ſi ignaviæ populorum reliquos accuſarent. Ipſas ad quas provocant Wilhelmi tabulas, quis genuinas eſſe certo firmaverit; cum & illæ, quæ Carolo, & quæ aliis Imperatoribus tribuuntur, adeo falſa tradant, ut ab ignaro illorum temporum confictas, nullus ambigere queat. Ingreſſus Aquiſgranum Wilhelmus, in fano S. Mariæ ab Colonienſium Antiſtite Conrado ferrea Caroli Magni corona condecoratur. Aderant ſolennibus cæremoniis Cardinales Caputius & Octavianus, Sifridus Moguntinenſis, Arnoldus Trevirorũ Archiepiſcopus, Henricus Leodicenſis, & Otho Trajectinorum Antiſtites, ac Brabantiæ Dux Henricus, aliique. His de more peractis, Antiſtitis poſtulato Leodicum Wilhelmus contendit; ubi Othoni Geldriæ Comiti Noviomagum in feudum conceſſit, acceptis ab eo marcarum argenti millibus uno & viginti. Quam donationem ſanxerunt poſtea ſucceſſores ejus Richardus & Rudolfus Habsburgenſis. Inde Armeſteinam & Montaberam profectus Rex, ab Arnoldo Iſenburgico Trajectinorum ad Moſam Epiſcopo honorifice exceptus, exactiſque ibidem prope menſibus duobus, primo ad patruum Othonem Trajectum ad Rhenum, inde in Hollandiam remeavit. Et ſub idem tempus Hagæ, celebri jam tum Hollandiæ loco, exſtruere aulam aggreſſus eſt. Quod tamen ad quintum ab hoc tempore annum multi retulere. Vnde ſuſpicari liceat, anno quadrageſimo octavo cœptum opus, quinto poſt quinquageſimum finem accepiſſe. Ex eo Hollandorum Comitibus, qui Graveſandæ, Vlardingæ, Harlemi, aut Leidæ, aulam habuerant, ſemper Haga ſedes fuit. Huc Patres, huc Senatus, & judicum conſeſſus tranſlatus eſt. Inter hæc ad Wilhelmum patruus Otho Trajectino-

Digitized by Google

rum Antiſtes venit, queſturus de injuriis ab Goeredæ Comite illatis. Quem Wilhelmus ad purgandam culpam venire juſſum, nec obſequentem, in vincula conjecit: & Comitatu mox ſpoliatum Othoni tradidit. Eadem tempeſtate Ioannes Avennio, adhuc offenſus, quod à matre ut ſpurius Flandriæ Principatu arceretur, bellum ei indicit. Favebant ei occulte Flandrorum complures, Hannonii omnes palam, quorum facile imperium obtinuit. Horum viribus, & maximis Wilhelmi affinis auxiliis, Aloſtanum ac Waſianum agrum, & quam Quatuor Officiorum vocant terram, in poteſtatem redigit. Teneramundenſem & Geremuntanum agrum fœde populatur, donec coacto exercitu Margarita occurreret. Flandri ad Arteveldam, Hulſtum, & Bierſvlietam conſedere; quæ loca tum continenti, unde nunc avulſa ſunt, adhærebant. Iis Avennio obviam profectus, conſerto prœlio, turpiter fugere omnes cogit, & mox Rupelmundam copiis cingit, ac acerrime oppugnat. His adacta malis Margarita, legatos ad filium mittit, impetrandæ paci, quam ſexaginta aureorum millibus redemit; pacto inter cætera, ut Aloſtum, Waſiam, ac Quatuor officiorum terram Ioannes reſtitueret, & Florentium affinem pacis obſidem mitteret. Sed Meierum ſatis mirari nequeo, qui Zelandorum quinque inſulas Flandris relictas prodidit, cum ſatis conſtet, nihil Hannonio juris in eas fuiſſe, & ab Hollandis jam multis hinc retro annis omnes poſſeſſas. Nonis Aprilibus, anni poſt
CIↃCC XLIX. mille ducentos undequinquageſimi, Trajectinorum Antiſtes Otho exſtinguitur, magno Wilhelmi Regis, magno ſubditorum dolore. Ejus in locum mox delectus eſt è celebri Amſteliorum familia Goſwinus. Retulimus ſupra, à Pontifice Romano Petrum Epiſcopum Catalaunenſem, & Hugonem Abbatem Lætienſem miſſos, qui in natales Avennionum inquirerent. Ii igitur auditis judicum ſententiis, quorum pars pro Dampetræ liberis, alii pro Bochardo genitis ſtabant, tandem pronuntiavere,

Digitized by Google

vere, quandoquidem Bochardi & Margaritæ matrimonium (tametſi ille cœnobium deſeruiſſet) ſolennibus cærimoniis in Eccleſia Dei peractum foret, pro juſto habendum, & ex eo ortos toro legitimam ſtirpem eſſe. Hæc ſententia ſcripto ad Pontificem tranſmiſſa, & biennio poſt auctoritate ejus firmata eſt. Iam anni tempus Wilhelmum Regem arma in Germania proferre hortabatur. Detrectabat imperium præfectus Cæſarowartæ, (quod validum ſupra Veſaliam caſtellum eſt) & ad extremum uſque ſpiritum fidem incorruptam Frederico ſervare ſtatuerat. Hac de cauſſa Rex locum validis copiis cingit. Inſtituuntur vineæ, acti cuniculi, ſcalæ muris admotæ, denique & acerrimis cum prœliis obſeſſi peterentur, non tamen conſtantiam animorum dimiſere. Wilhelmus ut vim infructuoſam eſſe experiendo didicit, fame fatigandos ratus, cuncta ad obſidium componit: quanquam proviſa ad integrum annum cibaria, & diuturnos labores fore non ignoraret. Sed ille omnes difficultates adſpernabatur, dummodo deſtinata provenirent. Itaque conquiſitis, quæ ad exigendam in caſtris hiemem requirebantur, non ante abſceſſit, quam initio inſequentis anni, CIↃ CC L. deficiente frumento, deditionem obſeſſi facerent. Quorum præfectum ad ſe vocatum, multis laudibus cumulavit, & id unum hortatus, ut ſibi in poſterum fidem illam præſtaret, quam hactenus Frederico præſtitiſſet, loci cuſtodiam eidem conceſſit. Tum quo magis fortem virum obſtringeret, dat ei conjugem cognatam ſuam Alfardi Brederodii filiam. Capta Cæſarowarta Coloniam Rex proficiſcitur, ut turbatæ Germaniæ propior foret. Hic agitanti querelas ſuas Trajectini deferunt, de Epiſcopi ſimplicitate. Qua multos abutentes cuncta pro lubitu ſuo rapere, atque agere dictitabant. Intercipi proventus publicos, exhauriri ditatum nuper Othonis induſtria ærarium. Atque adeo metuendos populi tumultus, qui imperitantium multitudine ad diverſa traheretur. Ea audita Wilhelmum

helmum perpulere, ut aſſumto Colonienſium Archiepiſcopo ipſe Trajectum tenderet, introſpiciendo rerum ſtatui. Et poſtquam vera vulgari compererunt, Goſwinum velut indignum & imparem moli abdicant: ſuffectoque in locum ejus Henrico Vianenſi, tunc apud Colonienſes Archidiacono, Wilhelmus Germaniam repetit. Archiepiſcopus ad tempus Trajecti ſubſtitit. Goſwinum faſtigio ſupremo devolutum toparchæ Amſtelius, & Woerdanus, propinqui ejus, indigniſſime tulerunt. Quippe ex longa Epiſcoporum ſerie primum illum munere dimotum, in ignominiam familiæ ſuæ trahebant. Itaque ſummis viribus reddere eum priſtino honori meditabantur. Quod poſtquam Henrico Antiſtiti nuntiatum eſt, relicta Colonienſi Archiepiſcopo urbis tutela, ipſe cum exercitu hoſti obviam proficiſcitur. Affertur interea Wilhelmo Regi arma à finitimis capta, nec à prœlio procul eſſe. Ergo maximis itineribus, paucarum cohortium comitatu, Trajectum veniens, priuſquam portæ occludi poſſent, irrumpit. Tum eodem impetu urbem pervadens, averſi lateris portam, qua egreſſus Antiſtes erat, priuſquam panderetur, fractis repagulis patefecit. Perculit inopinus adventus Colonienſem Antiſtitem; maxime quia per vim Wilhelmus civitatem intraverat. Itaque ſerio obteſtabatur, nequid hoſtile in Epiſcopum tentaret. At ille: *Nequaquam*, inquit, *tam brevi ſpatio averti animum ab Antiſtite, quem nuper ipſe dirigendis Trajectinorum rebus delegi. Non patitur neceſſitas tarda conſilia, quibus multi calamitatis ipſi cauſſa ſibi fuere. Nec amicorum me arma quieſcere permiſerunt: properandum erat, ſi infenſos reducere in gratiam vellem. Etenim ſolo adſpectu cohibebo conatus Amſteliorum. Satis ſuperque nobis hoſtium eſt, tametſi in mutua viſcera haud ſæviamus. Maximam Germaniæ partem tenet Fredericus: in illum ira omnis vertatur: ubi non vulnera ſociorum, ſed univerſum imperium victoriæ præmium erit. Proin pone ſupervacuos metus: nam ego brevi aut pace facta, aut debellatis Amſteliis remeabo.* Manebat nihilominus Anti-

Antiſtiti ſuſpicio; cumque ad manendum continenter hortaretur, Rex diſcedere ſuos ab armis juſſit, belli exitum exſpectaturus. Interea Henricus Antiſtes hoſtem patentibus campis adeptus ita cecîdit, ut ipſe Amſtelius & Woerdanus caperentur. Quos tamen libertati reddidit poſtulato Regis, & pace bellum finitum eſt. Wilhelmo in Hollandiam reverſo nuntiatur, morbo extinctum eſſe Imperatorem Fredericum. Quare, conſtitutis domi rebus, in Germaniam, hinc (ſi Steroni, illorum temporum ſcriptori, fides eſt) Lugdunum Galliæ ad Innocentium Pontificem ejus nominis quartum proficiſcitur; qui metu Frederici Roma profugus illic agitabat. Vbi accepta ejus benedictione in imperio confirmatur. Lugduno Germaniam repetens, primo & quinquageſimo hujus ſæculi anno, Eliſabetham Brunſwicenſium ac Luneburgenſium Ducis filiam matrimonio ſibi jungit. CIƆCCLI. Et forte prima quæ nuptias exceperat nocte, famulorum incuria ignis aulam corripuit. Iam pertinax flamma invaſerat cubiculum Wilhelmi, quando illum, in lectulo cum conjuge requieſcentem, ſomno excuſſit improviſum malum. Itaque propere conſurgens, monſtrante viam uxore, cui aulæ receſſus noti erant, ægre evaſit. Corona tamen, & monilia, ac veſtimenta utriuſque, eo incendio, quin & homines duo periere. Inde aſſumta conjuge Germaniam perluſtrat, componendis, quis adhuc concutiebatur, turbis. Nam multi nondum poſita in Fredericum reverentia, proniores in filium ejus Conradum erant. Nec inviſum pleriſque fuiſſe Wilhelmum dubitaverim: quippe exterum, & Hollandis ortum; quis nullus in Germanorum conſeſſu locus, ſed propriis legibus, & liberi vivebant. Proximo anno conventus Procerum Germaniæ à Wilhelmo indicitur. CIƆCCLII. Quo tendentem ſocerum ejus Othonem, Brunſwici & Luneburgi ducem, in itinere fatum rapuit. Eo in conventu ſuper ea, quæ ad reſtituendam rem Germanorum pertinebant, etiam de Margarita

Flandriæ Comite actum : & lata ſententia eſt, ob neglectum fidelitatis juramentum, excidiſſe eam Comitatu Namurcenſi, Aloſtana, & Waſiorum ditione, ac terrarum reliquis, in quas jus imperio foret : deniq; & Hannoniorum Comitatu, in quem juris nonnihil Imperatores ſibi vindicabant ſtultitia Richildis. Quæ cuncta Margaritæ erepta affini ſuo Ioanni Avennioni Wilhelmus donavit. Hæc Idib. Iuliis tranſacta ſunt, præſentibus Colonienſium Archiepiſcopo Conrado, Hugone Spirano Imperii cancellario, Brunſwicenſi & Brabantiæ Duce, aliiſque Principibus Germanorum. Cæterum Margarita, cognitis quæ adverſum ſe pronunciata erant, in Hannoniam abit, & expulſo quicquid Avennioni favere videbatur, novos magiſtratus deligit, Flandros pleroſque, indignantibus plurimum Hannoniis. Quorum ubi iram acuerunt immitiora Flandrorum imperia, protinus duce Gerardo Rotundo conſpirantes, à Margarita delectos pellunt aut interficiunt. Octoginta plus minus trucidatos ferunt ; quorum uxores notabili ſævitia, naribus atque auribus præciſis, ad Margaritam dimiſſæ ſunt ; addita cavillatione, ut Rotundorum facinora Comiti monſtrarent. Ita enim à duce factionem ſuam nuncupabant. Margarita tota diſtenta bello quod Hollandis indixerat, ultionem in tempus diſtulit. Eodem fere tempore Wilhelmus, cum tanta fortuna, & aſſidua bellorum, haud ſine maximo ſtarent impendio, non ſufficientibus oneri Hollandis, & nullis prope Imperii proventibus, decem millibus marcarum argenti Burgundiæ Comiti Ioanni Cabillonenſi vendidit, juris quodcumque in Arelatenſe Regnum, Veſontionem ac Loſannam civitates Cæſaribus competebat. Mox & Hugoni Ioannis filio facta ab eo poteſtas monetam in Salinarum oppido cudendi. At apud Flandros Margarita longo tempore conquiſitis, quæ ad grave bellum requirebantur, conductaque mercenaria Gal-

Digitized by Google

Gallorum manu, anno poſt mille ducentos tertio & quinqua- CIↃCC
geſimo, Guidonem & Ioannem filios, Dampetræ ſobolem, LIII.
trajicere in Walachriam jubet. Wilhelmus, prudens hanc partem ab ea petitum iri, Florentium fratrem, & Lupum Clivianum præſidio inſulis miſerat, additis modicis copiis, quis exſcenſu in terram hoſtes prohiberent. Vicinarum gentium arma, & in perniciem alterutrius fortaſſis eruptura, Brabantiæ Ducem advertêre; qui plurimo labore tridui tandem inducias impetravit, tentaturus, poſſetne interim colloquio præveniri bellum. Florentius, tametſi arma per fidem datam quieſcebant, nihil hoſti credens, intentus ſemper agitabat: ita ut vigiles interdiu noctuque diſponeret, & militem haud ſecus in armis teneret, ac ſi in propinquo hoſtis conſediſſet. Nec ſupervacuæ curæ erant. Etenim Guido & Ioannes negligentius pactorum fiducia acturum Florentium rati, priuſquam triduum exſpiraſſet, adpulſis Walachriæ navibus, haud procul VVeſtcapella militem celeritate ſumma expoſuere. Florentius ſuos in omnem caſum paratos tenens, intra colles, qui ſabulo illic frequentiſſimi adſurgunt, exſpectabat, donec terram cuncti conſcendiſſent. Sed poſtquam navibus egreſſos, & iter parare vidit, breviter milites, ut virtutis ſuæ memores eſſent, adhortatus, hoſtes nihil tale exſpectantes invadit. Flandri qnamuis ſubito adventu perculſi, eunt tamen in prœlium, & nonnullos ſuorum fugam meditantes, cogunt ire obviam. Vnde ad tempus ancipiti Marte pugnatum, Flandris, quia numero prævalebant, pluribus locis juſta acie occurrentibus. Tandem tamen virtute noſtrorum impulſi fugam capeſſunt: quos inſecutus Florentius ad internecionem pene omnes delevit. Capiuntur ipſi duces exercitus Guido & Ioannes, Margaritæ filii; tum & Theobaldus Barrenſis Comes, & Godefridus Giſnenſis cum ducentis & triginta è primaria Flandrorum Gallorumque nobilitate. Gre-

gariorum militum cenſus non eſt initus. Aquis multos, plurimos ferro hauſtos conſtat. Quinquaginta in univerſum millia periiſſe, Annalibus proditum eſt. Vnde Meierum ultra triginta millia occiſa aſſerentem, ſubmerſorum exemiſſe numerum crediderim: quando Ioannes Hecſemius ſexaginta, Cuſpinianus quinquaginta Flandrorum millia eo prœlio interiiſſe aſſerit. Naves quis trajecerant, & omne bellicum inſtrumentum in manus venit. Quartum Nonas Iulias tantæ victoriæ celebrem diem noſtri habuere. At VVilhelmus his nuntiatis Antwerpia in Zelandiam tranſit, plenus irarum ob violatas à Flandris tridui inducias. Cæterum ut innumera captivorum multitudine occupatas noſtrorum manus vidit, gnarus militis non eſſe ducum juſſa interpretari, aut recuſare imperia, cunctos exutis veſtibus domum ſine pretio remiſit. Incedebat miſerabile agmen, nullo circum nuda membra amictu: qui ſimulatque in Flandrorum littus expoſiti fuere, verecundia arborum foliis indecoras adſpectu partes velarunt. Sed maxime cunctos ad miſerationem commovit, quod ex tanto exercitu, haud plures ſupereſſent. Guido & Ioannes in Hollandiam miſſi, & honeſta habiti ſunt cuſtodia. Triſtes adeo de liberum captivitate, & exercitus clade nuncii, Margaritam adegerũt, ut Walterum Tornacenſium, Rudolfum Morinorum Antiſtitem, & Philippum B. Donatiani apud Brugenſes decanum; in Hollandiam ad Wilhelmum mitteret, de redemtione filiorum acturos. Sed Regem, ne audire eos cogeretur, ad Vangiones contendiſſe Meierus tradit: quanquam non dubitem, Flandrum in contumeliam trahere iter, quod aliis de cauſſis fortaſſis ſuſceptum eſt. Etenim legatos, ſi audire noluiſſet, imperio ſuo prohibere poterat. Illud non abnuerim, fieri potuiſſe, ut ne diem quidem illorum cauſſa profectionem differre Wilhelmus voluerit. Igitur ad Vangiones eum ſecuti, hujuſmodi reſponſum per Moguntinum & Spirenſem Archiepiſco-

pos

pos accepere: non ante de captivorum redemtione Regem acturum, quam ipſa Margarita purgatum ſe veniſſet de neglecto fidelitatis juramento, & ruptis tridui induciis. Quæ verba ut intellexit, adeo irritata eſt alti animi mulier, ut juraret, neminem ſe poſthac de redemtione filiorum ad Regem miſſuram. Simul, deſperata pace, omnes ad bellum cogitationes vertit. Sed placuit arma non movere, donec è Syria rediiſſet Gallorum Rex Ludovicus, cujus ope hoſtes ſe debellaturam ſperabat. Scribit continuator Matthæi Pariſienſis, Ioannem Avennionem, poſt fratres ab affine captos, legatos ad Margaritam miſiſſe, cum mandatis, ut miſerata filiorum tandem ad ſaniora conſilia flecteret. Cæterum illam haud maternis ſane verbis reſpondiſſe: Ageret truculentus carnifex (ita filium nuncupabat) cum fratribus pro lubitu, & alterum coctum elixumque, alterum aſſum devoraret. Quod dictum vulgo poſtea in crudeles feminas uſurpari cœpit. Hæc cum anno ſæculi decimitertii tertio & quinquageſimo geſta forent, Wilhelmus eo qui excepit Nuſſiam profectus cum Colonienſium Antiſtite conſilia contulit. Vbi dubium qua de cauſſa ortæ contentiones, & aſperius quædam à Rege prolata, adeo Archiepiſcopi animum irritarunt, ut noctu ignem injiceret ædibus, quis ſe Wilhelmus tenebat. Sed ille, quamvis jam flammam tectum concepiſſet, periculum prudenter effugit. Et ea tunc tempora erant, quis nec palam minari ultionem, nec protinus vindicare facinus expediret. Quippe durius in Archiepiſcopum ſtatuta, haud dubie cæterorum Germaniæ Principum, & imprimis ſacri ordinis avertiſſent. Wilhelmi autem imperium nondum ſatis firmatum; nec cæteris ſociorum tantum virium erat, uti reſiſtere illis poſſent. Eam ob cauſſam diſſimulato dolore, vertit ſe ad impendens à Flandris bellum. Margarita reverſum è Syria Ludovicum Gallorum Regem crebris legationibus fatigabat ad ferenda auxilia. Qui tamen haud temere offendendum

CIↃ CC LIV.

dum Wilhelmum ratus, à quo nullam ipſe injuriam accepiſſet, conciliare offenſos tutius ſibi, & magis glorioſum putabat. Et quia legatos mittere Margarita abnuebat, ſuo ac quinque Flandriæ civitatum nomine mittit ad Regem, qui de pace, & redemtione filiorum Margaritæ colloquerentur. Ii poſtquam acceſſere, reſpondit Wilhelmus: ſi firmam Margarita pacem vellet, ſupplex perfidiæ culpam deprecaretur, & omni in Zelandos, (quod rurſum ſibi Flandri adrogabant) jure cederet; aut ſi abnueret illa, Flandrorũ id proceres, quamvis invita, præſtarent. Guido fratri Ioanni Avennioni, ejuſque poſteris relinqueret, quicquid terrarum imperio Romano obnoxium Flandriæ Comites hactenus tenuiſſent. Denique ſtarent utrique pacis legibus, quas Rex Ludovicus & Cardinalis Odo præſcriberent. Pro redemtione filiorum millia florenorum ducenta numeraret. Margarita auditis, quæ reſpondebantur, acriter in Regem invecta eſt: & præſente Senatu, quo omnem Flandria potiundi ſpem Avennioni eriperet: *Me*, inquit, *humanis rebus exemta, Flandriam Guido teneat, aut ſi in Hollandorum cuſtodia diem ille ſupremum clauſerit, filius quem naſcendi ordine primum habet. Veſtra enim intereſt, nequis Avennionum imperio potiatur. Itaque, quos ex altero conjugio ſuſcepi liberos, vobis commendo, & obteſtor ut eos adverſum Hollandos, Avennionem, & ſiqui alii Flandrorum jurati hoſtes, defendatis.* In hæc accepta Procerum fide, quia per legatos Ludovicum Regem nequidquam ſollicitari videbat, ipſa in Galliam proficiſcitur, ſi forte precibus, & hortamentis, animum ejus flecteret. Cauſſæ Regi juſtæ erant, cur Gallos Flandrorum militia prohiberet. Nihilominus importunis feminæ precibus adductus, poteſtatem Carolo fratri fecit, ut auxilia ferret, ſumtibus Flandrorum, conditione ea, ut Hannoniam ille obtineret, donec ſupereſſet Margarita. Conſenſit protinus illa, odio Hollandorum, & Avennionum. Igitur Carolus comitantibus Burgundo, Lotharingo, Alenzonio, Borbonio, Stampano, Sabaudo

Digitized by Google

baudo, ac Principum aliis, Compendium abit, quo convenire milites juſſerat. Iis luſtratis, ſtatim in Hannonios irrumpit, miſſoque ad Wilhelmum feciali, bellum denunciat, cui torquem aureum, Guidonis collo detractum, donaviſſe Cæſarem refert Meierus. Iam occupata Rupelmunda, copias cum Margarita Carolus junxerat, & victorias victoriis cumulabat, adeo ut brevi omnem ſibi Hannoniam ſubjiceret, excepto Bochano; cui parcitum, quia Avennionis uxor Adelheidis puerperio illic attinebatur, & Angia, quæ Galteri virtute defenſa eſt. Profugus Ioannes Avennio ad Wilhelmum properat, hoſtium proſpera nunciaturus. Noſtri Annalium ſcriptores, nec vero abſimile videtur, recentem à partu conjugem, cum tenero infante ad Wilhelmū ab eo miſſos tradunt, quo ſororis & parvuli cognati miſertus, maturaret obviam ire Carolo. Nec diu diſtulit Rex cogere militem, ſive eum affinis, ſeu ſororis preces flexere. Sed antequam moveret, tentandum ſibi Caroli animum ratus, comiter eum per literas rogat, *ne alienas terras, in quas ipſe, neque Margarita, juris quicquam haberet, invaderet; ſed ſuis contentus cederet alieni imperii finibus. Id ſi faceret, æternam ſibi cum eo amicitiam & ſocietatem fore.* Ad ea Carolus arroganter: *Neque Hannonia ſe exceſſurum reſpondit, nec Wilhelmi ſocietate indigere, quando validiori munimento fratre Galliarum Rege niteretur. Offerret amicitiam ſuam his, qui inde emolumenti aliquid ſperarent. Seſe minime eum metuere, & ubicumque periculum virium facere libuiſſet, oſtenſurum, quo loco Regem aquarum* (ita per contemtum eum appellabat, quia aquis cingitur Hollandia, aut dividitur) *haberet. Veniret tantum in campos & apta certamini loca.* Offendit ſuperbia Regem, ſtatimque reſcripſit: *Mulierum eſſe convitia: virum fortem dextra, non lingua uti. Eoque ſemper creditum ſibi, quo quis iis procacior, ignaviorem eſſe. Etiam timidos canes poſt ſonoros latratus nihil audere. Si certare paratus foret, oſtendere ſe idoneum locum, Aſchanam planitiem. Vbi neque aquarum intercurſus, nec montium convalles, ſed puri planiſſimique campi eſſent: ne inſi-*

diis quidem locum fore: tantoque majus fortitudinis argumentum vincentes habituros. Nolle ſeſe arbitrum belli eſſe; tantum id quærere, acciperetne conditionem, an timore defugeret. Non crediderat Carolus, id animi Wilhelmo, ut cum paucis Hollandis adverſum univerſas Gallorum vires prœlium auderet. Vnde perculſus mittit ad fratrem legatos, plus copiarum petituros. Certum Ludovico erat, non ultro Wilhelmum offendere; & ſatis Carolo militum eſſe rebatur: quare ſubſidia negavit. Carolus conſilii inops, dubius agitare; hinc pudor ferocium verborum, inde metus anxium agebant. Tandem tamen, inſtigante Margarita, venturum ſe promittit, addito, ut qui prior acceſſiſſet, tridui ſpatio hoſtem operiretur. Iis cognitis, nulla penes Wilhelmum mora, quin, collecta Hollandorum Friſiorumque manu, in deſtinatum locum contenderet. Poſtquam caſtra poſuit, Carolum exſpectaturus, Friſii ſuſpicionem ejus provocarunt, incertum quid machinantes: nam qui Hiſtoriam Pariſienſis continuavit, non admodum grave crimen commiſiſſe, & indigne à Wilhelmo habitos prodidit. Illi ſane ex eo averſi, inſidias Principi moliebantur. Et poſtquam adventare Carolum rumor cucurrit, paulatim ſecedere ex acie, & vincentis gratiam aucupari ſtatuunt. Non latuit proditio Regem; & quia plures erant, quam ut cogi per vim poſſent, inſidias diſponit, univerſos deleturus. Quo metu illi, arrepta fuga domum remeantes, populares omnes ad inferendum Hollandis bellum concitavere. Wilhelmus nihil eorum defectione turbatus, quamquam invalidas ante copias ad multo minorem numerum redactas videbat, nihilominus Carolum operiebatur. Triduum jam in Aſchana planitie ſtativa habuerat, nec movebat hoſtis, nec moviſſe ab exploratoribus nunciabatur. Igitur haud falſo ſuſpicatus, Carolum per moras ſe eludere, ſuos in hoſtem rapit, prœlio paratus, ubicumque eum adipiſceretur. Sed ille ſimul adventare noſtros nunciatum eſt, turpi fuga ſibi conſulit, relictis in pe-

Digitized by Google

in periculo Flandris, qui haud cunctanter exemplum ejus ſecuti ſunt. Wilhelmus ſola fama pulſis hoſtibus, Valentianas, unde haud procul caſtra habuerant, facile ad deditionem compulit, & circumlatis per Hannoniam ſignis, cuncta hoſtibus occupata brevi recepit. Ludovicus Gallorum Rex, victoriis Wilhelmi, & fuga fratris comperta, Gandavum ad faciendam inter Hollandos Flandroſque pacem profectus eſt. Quem fruſtra laboraſſe prodidit Meierus. Sed haud multo poſt tempora illa natus Stokius, fractam Caroli fuga Margaritam, cum à nemine auxilii quicquam ſperaret, in caſtra Wilhelmi veniſſe ſcribit, & culpam profeſſam, filio Ioanni Hannoniam, & quicquid terrarum jus Imperii agnoſcit, tradidiſſe. De filiorum redemtione nihil tunc actum. Ego non facile fidem negaverim tantæ antiquitatis & auctoritatis ſcriptori; præſertim cum ab eo tempore ad finem Wilhelmi uſque, nullum inter Avennionem & Flandros bellum in Annalibus memoretur. Per idem tempus Wilhelmus, certior factus de partu conjugis, in Hollandiam contendit. Mox tamen retractus turbidis Germaniæ rebus, in qua multi palam imperia ſpernebant; & cæteros inter Richenſteinii caſtelli prope Baccheracum præfectus. Atque ille quidem à Rege facile oppreſſus eſt. Dum alia turbis plena ſunt, quæ Rheno adjacent civitates, fœdus inter ſe inivere, ut eoſdem univerſæ hoſtes, eoſdem ſocios haberent, & pecunias in commune ærarium conferrent. Tum perſcripſere ad Wilhelmum conſilii cauſſas, illeque cuncta tabulis rata eſſe voluit. Cæterum utilia pacta non ultra mortem Regis duravere. Qui ſequente anno (erat is poſt mille ducentos quintus & quinquageſimus) legatos ad Anglorum Regem miſit, paci faciundæ: ſed ea an proceſſerit, in Annalibus haud reperio. Id conſtat, profectum tum in Britanniam Avennionem, ad petenda auxilia, ſi forte arma reſumeret Margarita, & repulſam paſſum eſſe, aliis bellis ſe occupatum cauſſante Rege. Avennioni vetus matris perfidia me- CIↃCC LV.

S tum

tum injecerat, ne rurſum hoſtilia tentaret, implicito Germaniæ rebus Wilhelmo. Ille interea Germaniæ proceres Wormatiam convocarat; quo plerique acceſſere, ab aliis legationes miſſæ: Quæ acta ſint, in veterum ſilentio, ipſe haud memoraverim. At Eliſabetham, conjugem Regis, eo tempore ad Trifelſii caſtrum profectam, Comite Waldeccenſi, & aliis comitantibus, intercepit Hermannus Rinbergenſis caſtelli præfectus, hauddum ſatis pacati in Wilhelmum animi. Et cum aliquamdiu eam detinuiſſet, tandem ornamentis monilibuſque ſpoliatam dimiſit, differente iram Rege in reditum ab itinere, quod in Italiam ad Pontificem meditabatur. Neque eo id perfecit: nam proficiſcentem adſecuti de Friſiorum rebellione nuncii perpulerunt vertere iter. Vt Trajectum venit, cum urbis proceribus varia tractans, à quodam privatum odium gerente, pleno in conventu, ſaxo caput affligitur. Tum vero iræ impotens: *Hanccine*, inquit, *gratiam refert mihi Trajectinorum Eccleſia, quam matris loco ſemper habui; cujus hoſtes meis viribus ſubacti ſunt? Hanc labores mei mercedem meruere? Deum, & S. martyrem Georgium teſtor, cui meis hic ſumtibus Eccleſiam erexi, modo vita ſuppetat, intra annum ultionem me ſumturum. Scilicet onerant vos merita mea; & quia vicem reddere non potuiſtis, odium rependitur.* Simul urbe ſe proripiens, ad Friſicum bellum abit. Secuti eum in Hollandiam legati Trajectinorum, delicti veniam orabant. Sed ille dedi ſontem, aut bellum exſpectare eos juſſit. Trajectini dedere neglexerunt, credo ob magnitudinem viri. Interea Wilhelmum fata ad Friſios trahebant, indignantem ob inſolentiam gentis, & imprimis defectionem in bello adverſum Flandros. Referunt Friſii, Kenemarios primo agrum ſuum populatos, & arma tantum ad defenſionem à ſuis capta. Wilhelmo autem non aliam iræ cauſſam fuiſſe, quam quod meritis imparem ſe videret. Quæ falſo ferri, ſatis ex Annalibus liquet. Niſi fortaſſis defectio pro beneficio æſtimanda eſt. Igitur, paratis omnibus,

Rex

Digitized by Google

Rex Friſiam irrumpit, & meliorem cauſſam juvante Deo, hoſtilem exercitum in fugam egit. Statueratque penitiora gentis penetrare: ſed cœli iniquitate prohibitus, exſpectare decrevit, donec adſtricta glacie flumina lacuſque tranſitum armatis darent. Ne tamen in poſterum auderent excurſiones, Torenburgum caſtellum in finibus eorum ædificat. Exordio inſequentis anni cum glacie cuncta rigerent, ad exſtinguendas belli reliquias proficiſcitur. Sed hoſtes metu ad ulteriora delapſi, deſertis agris, neceſſitatem attulere copias dividendi. Quarum parte una in Hoochwoudios Rex ipſe tendens, alteram invadendis Drechtenſibus Bredenrodio tradit; à quo cuncta gnaviter patrata, & pulſis undique hoſtibus, agri vaſtando corrupti ſunt. Eadem felicitas adverſum Hoochwoudios Wilhelmum comitabatur. Quippe vitata Verona, præcipuo Weſtfriſiæ vico, expeditam equitum manum in hoſtem rapiebat, peditatu ſubſequi juſſo. Vt vero glaciem tranſire conatus eſt, quæ pede altior aquæ incumbebat, lapſu equi ea perrupta, ipſeque armis gravis, in aquas cadit. Proximi dum auxilio certatim currunt, eodem periculo involvebantur. Quorum trepidatione animadverſa Friſii, qui intra ædium limina impendens periculum ſuſpenſi animo exſpectabant, ex pago contis prælongis inſtructi accurrunt. Et pulſis ſine mora auxiliatoribus, ipſum Regem, cum cæteris ejuſdem diſcriminis ſociis, ignari ſuffocant. Poſtquam vero extractis cadaveribus etiam exanimem Wilhelmum è vultu atque armis agnovere, confirmantibus opinionem exulibus Hollandis, ſublatum ſepulturæ mandant, ignobili quodam Friſiæ loco, quo facinoris memoria aboleretur. Auctor tamen Chronici monaſterii SS. Vdalrici & Afræ, Wilhelmum ſubacta jam Friſia domum remeantem à nonnullis Friſiorum inſidiis interfectum prodidit. Id certe conſtat, non militari aliqua manu, nedum juſto exercitu, Regi Friſios occurriſſe; ſed incompoſitam unius pagi multitudinem è

CIↃ CC LVI.

Digitized by Google

noſtrorum trepidatione ſumtis animis invaſiſſe. At pedeſtres copiæ, quæ Wilhelmi caſum ignorantes, imperia ejus exſpectabant, poſtquam, ab elapſis fuga equitibus, extinctum eum cognovere, metu prope exſangues, domum feſtinarunt. Hæc quamvis ita veteres, & illorum temporũ auctores memorent, diverſa tamen recentioribus tradita ſunt: quos inter Vbbo Emmius, omnem Friſiorum exercitum Hoochwoudam prope collectum, totis viribus, & juvante Wilhelmi fortuito caſu, Hollandorum equites aggreſſum, dein & peditatum ac univerſos prope internecione deletos, affirmavit. Nec abiere multum ab ejus opinione noſtri, quis patrias res nuper conſignare curæ fuit: etenim ii ex Dordrechtanis trecentos, vel ut alii, ternos, ex Alcmarianis & Delfenſibus quinos tantum effugiſſe ſcripſerunt. Quæ vel falſa, vel non niſi de equitatu intelligenda, quem ſolum Wilhelmo adfuiſſe antiquioribus relatum eſt. Nec profecto ſimile vero videtur tantas Hollandorum copias, ab incondita Friſiorum turba cæſas. Et multum lapſi ſunt, qui illo tempore, eos exercitum in armis habuiſſe arbitrantur.

FINIS LIBRI TERTII.

MAT-

Digitized by Google

MATTHÆI VOSSII

ANNALIVM HOLLANDIÆ

ZELANDIÆQVE

LIBER QVARTVS.

OCciſo ad diem III Kal. Februarii Wilhelmo Rege, Florentius, in Comitum ſerie quintus illius vocabuli, ſuccedit. Et quia vix primum ætatis annum exceſſerat, cognomini patruo tutelam Patres commiſere. Qui principio regiminis pacem cum Margarita Flandrorum Comite fecit. Bruxellis de ea actum, & in has conditiones conveniſſe Flandri produnt: Vt Margaritæ filii Guido & Ioannes pro ingenti æris vi dimitterentur: quanta fuerit, in occulto reliquere; niſi quod ſolos Gandavenſes ad eam VIII nummum millia contuliſſe ſcribunt. Vt Florentius tutor Guidone natam Beatricem penatibus ſuis induceret, aut ſi illum ante raperet fatum, Florentius Comes. Dotis loco Zelandiam, ſive jus quod in eam Flandri vindicabant, haberet, ſed tanquam cliens Flandriæ Comitum. Sin & Comitem præpropera mors exſtingueret, Guido Machtildim, Regis VVilhelmi filiam, tori conſortem adſciſceret, & dotis loco iiſdem conditionibus Zelandiam reciperet. Pax ſæculi undecimi anno ſexageſimo ſeptimo cum Florentio inita rata haberetur, quantum ad vectigalia Zelandica, & Flandrorum in Hollandia libertatem. Chrivecorſium & Allue-

Alluetum Guidoni , Bochanum & Oſtervandia , Ioanni Avennioni cederent, ut anno ejuſdem ſæculi ſexto ſupra quadrageſimum Ludovicus Gallorum Rex & Odo legatus Pontificis pronunciaſſet. Additum , uti nec Flandrorum exulibus apud Hollandos, nec horum apud illos perfugium eſſet. Sed hæc à Meiero, homine Flandro prodita ſatis liquet. Quem falſitatis arguere haud verear in eo,quod de clientela ait, cum noſtri Annalium ſcriptores, & in his Stokius, liberam inde, & nemini obnoxiam Zelandiæ poſſeſſionem habuiſſe Hollandorum Comites ferant. Nec inde jus aliquod fuiſſe Flandris credendum eſt, quia nonnunquam repetiverunt : quin potius hoc documento perfidia eorum evincitur. Quod vel ipſos de ſe fateri neceſſum eſt. Etenim Florentius Comes , quamvis ducta Beatrice Guidonis filia, in Walachris hoſtium arma ſenſit. Id quoque, quod pacem anno ſexageſimo & ſeptimo factam, tunc confirmatam ſcribit, falſi manifeſtum eſt; cum credibile haud ſit, victores Hollandos admiſiſſe conditiones, quas victi abnuerant. Vnde apertum, cuncta hæc à Flandris eo audacius conficta, quia acta intercidere,quis veritas adſtrui poſſit. Nos ſatis antiquorũ teſtimoniis oſtendimus, non temere hic fidem Meiero habendam. Cæterum Florentius facta pace ad Zelandos profectus, quo arctiori eos vinculo illigaret, proprias genti leges conceſſit, quas ante pro victorum libidine accipiebant. Inſequentem annum , (erat is ſæculi hujus ſu-
CIↃCC LVII. pra quinquageſimum ſeptimus) nullis geſtis Hollandorum celebrem, Ioannes Avennio vitæ ſupremum habuit. Conſternaverat eum mors Regis Wilhelmi, quo ſpes ſaluſque ejus nitebantur ; adeo ut ex mœrore contracto morbo decederet, relicto impubere filio Ioanne. Hannonios in luctum haud multo poſt Hollandi ſecuti ſunt. Etenim , anno hujus ſæculi duode-
CIↃCC LVIII. ſexageſimo , Florentius tutor ad ludos equeſtres Antverpiam profectus, grave vulnus, & ſeptimo Kal. Aprilis, vitæ finem acce-

Digitized by Google

accepit. Cadaver Middelburgi tumulo illatum eſt. Defertur
exin regiminis cura Henrico Brabantiæ Duci, Comitis conſo-
brino: quo ob inſolentiam aulicorum ſtatim pulſo, Ioannis A-
vennionis vidua Adelheidis tutelæ cognati præficitur, non
diuturna poteſtate. Quippe feminæ parere Patres recuſabant.
Hinc turbæ, & acres in Senatu contentiones, donec vicere,
qui novum tutorem expoſcebant: Ergo ad Geldriæ Comitem
itur. Sed Adelheidis oblatum ſemel regimen ægre dimitte-
bat, animoſior ob favorem procerum Zelandiæ. Tandem in
arma erupere. & coactis utrimque exercitibus Hollandi Gel-
drique, duce Othone haud procul Brouwershavia ad Vorni-
zeam adverſarios in fugam egere. Qua victoria inteſtini mo-
tus conſederunt. Anno quem Chriſtiani poſt mille ducentos CIↃCC
tertium & ſexageſimum, Florentius imperii ſeptimum nume- LXIII.
rabat, Iuliacenſium Comes Gerardus Antiſtiti Colonienſi arma
intulit. A quo ad auxilium vocatus Trajectinorum Epiſcopus,
aſſumtis Hollandorum ſubſidiis eo contendit. Collatis ſignis,
fugatus ac cæſus eſt Iuliacenſis; quam victoriam Hollandorum
imprimis & Trajectinorum virtute partam, ſcriptorum con-
ſenſus eſt. Quadriennio exacto, graves plebeiorum motus CIↃCC
Hollandiam concuſſere; dum pueritiam Florentii, & Geldrum LXVII.
ſuis rebus implicitum, eoque tutelæ minus curioſum, multi a-
ſpernantur. Hinc, quod peſſimum in imperiis, ubi certa ſuc-
cedentium domus eſt, ſi quando ad innocentem ætatem de-
volvuntur, varii motus animorum; inſurgentibus paſſim nobi-
libus adverſum nobiles, Patribus contra Patres. Maximus Ke-
nemariorum furor fuit, conjuratorum ad exſcindendam nobi-
litatem. Sequenti demum anno incendium illud exarſit, cum CIↃCC
everſis ædibus quaſcumque in Kenemaria nobiles habebant, LXVIII.
in vicinorum quoque agros impetu facto, nobilitatem Harle-
mum fugere, & mœnibus ſalutem tutari adegerunt. Is vero
triſtiſſimus Hollandiæ ſtatus fuit, quo non itinera viatori, non
oppida

oppida civi ſatis tuta erant. Volitabant paſſim infeſti Kenemariorum globi, obvia cuncta agentes ac rapientes, & deterrimis quibuſque eorum ſe numero adgregantibus. Et jam ipſis in urbibus ſeditioſæ plebeiorum voces audiebantur, inviſis quicumque genere, opibus, potentia cæteros præcellebant. Tamen nequid in eos auderetur, magiſtratuum auctoritate effectum eſt. Sed Kenemarii ejecta ſuis terris nobilitate, nihil actum rebantur, niſi vicinis quoque locis eandem exturbaſſent. Qua de cauſſa in Waterlandiam prorumpentes, cunctis circumquaque vaſtatis, habitatores arma ſecum jungere compulerunt. Exin in Friſios iter meditabantur, qui Hollandis infenſi, haud gravate ſocios ſe belli & periculorum obtulere. Igitur tractibus illis ſubactis, auctuque copiarum feroces Kenemarii, in Amſteliani toparchæ agrum effunduntur. Quo longe lateque vaſtato, Amſtelius, gnarus omnem potentiam plebi inviſam, ne ſubditis quoque adverſum ſe inſurgentibus ipſe pelleretur, placare Kenemariorum iram adgreditur. Cumque multa comiter diſſeruiſſet, non tamen aliud ad ſalutem reliquum habuit, quam ut ſimulans placere ſibi quicquid agebatur, vires conjungeret. Moxque à Kenemariis dux exercitus declaratur: quippe nobilitatem artibus militiæ præſtare cuncti intelligebant: ideoque ducem nacti, tanto nunc ſuperbiores, urbes, regiones, omnia viribus ſuis ceſſura jactabant. Amſtelius, tametſi turbas nunquã ortas maluiſſet, gaudebat interea obveniſſe caſum evertendi, quos privatim ſuo nomine oderat, viros primarios, & potentes, eoque magis Kenemariorum iræ obnoxios. Ergo Vredelandiam, Trajectinorum caſtellum finibus ſuis imminens, oppugnare aggreditur, & quia vis haud procedebat, circùm caſtra locat, mora obſeſſos fatigaturus. Hic dum adſidet, ibant quotidie Kenemarii prædatum, non magis Amſtelii quam aliorum terris parcentes: quando omnium ſeſe dominos ferebant. Amſtelius, quamvis ſuorum clade anxius,

Digitized by Google

xius, & intelligens, non tantum intutam reprehenſionem eſſe, ſed & diſſimulandam triſtitiam, palam laudare virtutem & fortitudinem eorum. Sed ſecum multum reputans, qua potiſſimum ratione ſubditorum damna præveniret, avellere eos finibus ſuis ſtatuit. Itaque vocata ad concionem multitudine: *Tædet*, inquit, *commilitones, ſegnem unius caſtelli mœnibus adhærere, & differre præmia veſtris laboribus digna. In propinquo Trajectina civitas eſt, ipſa nobilitatis ſedes, clauſtrum divitiarum totius regionis. Huc potius arma vertamus. Illa ſubjugata, locorum reliqua terror domabit. Nec in arduo res erit: dum Vredelandiæ adſidere credimur, intempeſta nocte ſecuros hoſtes, & urbem opprimemus. Nam ſi caſtellis expugnandis tempus terimus, otium erit hoſtibus vires interea firmandi, & multis munimentis expugnatis, præter egeſtatem & vulnera nihil mercedis inveniemus.* Conſurgit protinus avidum vulgus, & ſpem prædæ acerrime rapiens, ante lucem Trajectum corona cingit. Vigiles armorum ſtrepitu exciti, & hoſtem adeſſe conjectantes, quo promtius oppidani concurrerent, Tartarorum agmina vallum quatere, & jam jam urbis potitura conclamant. Tum vero territi omnes, & qua proximum cuique erat, ad mœnia ruentes, vallum implent: diſponuntur machinæ, tormentaque, & quicquid arcendo hoſti, aut propugnandæ urbi erat. Kenemarii ea ſpe dejecti jam ducis fidem ſuſpectare cœperant; cum unus eorum propius muros ſuggreſſus, impetrato ſilentio: *Erat*, inquit, *cur arma indueretis adverſum ſocios, qui vos nobilitatis tyrannide liberaturi acceſſere? Magnam proculdubio laboris mercedem feretis, nomina mancipiorum. Ergone tantæ felicitatis eſt, ſervitute crudeli, intoleranda, indigna affligi? Quin potius & vos viros eſſe, & veniſſe tempus ultionis reputate. Præbeant nunc alimenta vobis, qui veſtro ſanguine paſti ſunt. Omnium rerum vices eſſe oportet, & ſervire qui ante imperarunt, regere qui ſervitutem duravere. Si ſtabilis fortuna eſſet, merito ſane quereremur, lumen primum aſpicientibus comitem adſtitiſſe inopiam. Sed nullus niſi ſua culpa miſer eſt; & res anguſtæ non alio fine nobis obtigere,*

Digitized by Google

quam ut oſtenderemus, an meliori fortuna digni fuerimus. Nec mora, mobilis multitudo arrepta pro defenſione urbis arma in Patres vertit. Sternuntur paſſim aut exiguntur nobiles, Patres curia exturbati, direptæ ædes, & plurima illic vis, ubi erant, qui defenſionem auderent. Rebus tanto impetu geſtis, pandunt portas; acceptiſque in urbem agminibus Kenemariorum, fœdus ineunt, in prædæ, belli, ac periculorum ſocietatem adſumentes. Exemplum mox ſecuti Amersfurtenſes, conjuratorum militem intra muros admiſere. Interea Epiſcopum, qui dum hæc agebantur urbe abfuerat, & Othonem Geldriæ Comitem, Florentii tutorem, exules adeunt, multa de extrema Kenemariorum & Trajectinorum rabie conquerentes. Quis reducendis illico copias Comes movit; adeo interrito Amſtelio, ut ultro occurrens inſtructa acie, prœlii facultatem faceret. Sed Geldrus, ubi exercitum fama majorem advertit, temerarii ratus incerta prœlii tam exigua ſpe ſubire, in Velaviam regreſſus. Amſtelius hoſtem inſecutus non eſt; ſed tempus jam veniſſe ratus ad expugnandas ædes nobilium, quibuſcum ſimultates exercebat, hortatur Kenemarios, ut conſilium ſuum ſequantur. Non ægre adſenſere, quos ſatis ſua ira exſtimulabat. Caſtris motis, Giſelberti Abcoudæ, Wilhelmi Riſenburgici, & Huberti Vianæ toparcharum caſtella evertuntur, & quicquid circum agri erat, fœde populationibus vaſtabatur: donec ſatur vindictæ Amſtelius, & reliqua Kenemariorum bella minus probans, quoniam nullus imperio locus apud inconditam multitudinem erat, rogare cœpit, ut reverti domum vellent, & frumentum in ſequentem annum comportare: ſpe facta Geldriam invadundi, ob lata Epiſcopo auxilia, unde prædam uberem, hactenus negatam, habituri forent. Paruere monitis, & relicto apud Trajectinos & Amersfurtenſes præſidio, quantum iis locis defendundis ſatis erat, domum profecti ſunt. Cæterum metu Harlemenſium

Digitized by Google

menſium, quo nobilium plerique confugerant, dimittere in hiberna militem non audebant; veriti ne ad ſua quoque dilapſo, illi occaſionem arriperent. Igitur ſumma alacritate oppugnare urbem aggrediuntur. Nec nobiles aut periculum ſuum, aut hoſtium ſpes latebant: proin ſaxa de vallo volvere, ſubeuntes impetere, donec ſcalarum nonnullis, quæ admotæ erant, confractis, cœpta Kenemarii intermiſerunt; ſatius rati longioris obſidii tædio obſeſſis deditionem extorquere. Erat in urbe vir ſtrenuus, & belli artibus inſignis, Ioannes Perſinius, qui tentandum aliquid pro omnium ſalute ratus, cum delecta militum manu, noctu per medias hoſtium ſtationes evaſit; & impedimentis ac præda eorum potitus, mox in Kenemariam irrupit, cuncta ferro atque igne vaſtans. Non perculerunt Kenemarios, qui prædam & impedimenta ab hoſte teneri nunciabant. At poſtquam ſua uri & vaſtari profugis ab agricolis cognovere, trepidi damnare improſpere petitum obſidio Harlemum. Tum, ut ferme inopino caſu, mali magnitudinem conſternatio auget, anxii intra ſe volvere, unde tam repente novus hoſti exercitus, & an Geldriæ Comes reveniſſet, an pro nobilitate arma ab Hollandis capta forent. Iamque paſſim graſſari ignes, & tecta exuri videbant, cum ad exſtinguenda incendia, deſertis caſtris, propere iter fugæ ſimillimum arripuere. Quod ubi Harlemenſibus conſpectum eſt, ſatis ad perniciem hoſtium fore exiſtimantes, ſi tergis fugientium hærerent, erumpunt portis, & plurimis conciſis, aliis ſpe ſalutis vincula haud abnuentibus, cum magno captivorum numero in urbem reverſi ſunt. Hunc in modum tumultus Kenemariorum ſolius Perſinii induſtria compreſſus eſt. In Trajectina ditione non eadem rerum facies: quippe non hic multitudinis tantum viribus, ſed & munitis oppidis hoſtium potentia nitebatur. Addidit tamen Geldriæ Comiti animum audita Kenemariorum clades, ut

Digitized by Google

rurſum collectis copiis Trajecti oppugnationem auderet.
Vbi præſidiariorum fortitudine repulſus eſt, Amersfurtum pe-
tit, & oppido contra vim tantam invalido per deditionem
potitur. Mœnia teſtandæ perfidiæ, & quo in poſterum
rebellioni occurreretur, dejecta ſunt. Quibus rebus ge-
ſtis, domum Geldrus remeavit: nam atrox hyems, & vix
toleranda militi erat. Trajectum per biennium Kenemarii
tenuere; quando Zuederus Boſchemus, collecta exulum
manu, ſecreto noctis urbem invaſit, & libertatem ei prio-
rem reddidit. Seditioſorum multi patria ejecti; in alios,
qui ad magiſtratum pervecti erant, ſupplicia ſtatuta ſunt.
Sed plebei non multo poſt clam urbem ingreſſi (facile e-
nim in tanta multitudine pauci occultantur) iterum ſocios
ad arma concitavere; quæ ubi à nobilibus quoque capta,
& ad civile bellum cuncta ſpectabant, miſſus à Florentio
Comite, qui tum quintum & decimum ætatis annum a-
gebat, Nicolaus Catzius cum quingentis militibus portas
molitus, urbem ingreditur. Hinc perculſæ partes, utra-
que hoſtium auctas vires metuente. Catzius poſtquam inter
offenſos medios ſtetit, graviter interminatus, niſi ab armis
diſcedentes ſui arbitrii rem totam facerent. Vbi timore pa-
ruerunt, magiſtratus cauſſa ſuſcepta, plebeiorum mille qua-
dringentos in exilium agit, eorumque bona fiſco adſcribi ju-
bet. Cæteris dein rebus conſtitutis in Hollandiam reverti-
CIↃ CC tur. Anno ejuſdem ſæculi primo & ſeptuageſimo, Floren-
LXXI. tius Comes ſextum & decimum ætatis annum jam egreſſus, ſe-
cundum Florentii patrui pacta cum Flandris, conjugem ſumit
Guidonis filiam Beatricem. Etenim plurimum falluntur, qui
matrimonium hoc, nonniſi poſt bellum cum Flandris pera-
ctum putant, cum hoc geſtum demum ſit, multo poſt ductam
à Florentio Beatricem; ex qua numeroſæ ſobolis pater,
neminem tamen è liberis præter minimum (Ioanni no-
men

Digitized by Google

men erat) virilis ætatis vidit. Theodericum enim, Florentium, Wilhelmum & Othonem, omnes ante hunc natos, immatura ætate mors intercepit. Sexus infirmioris ex eo conjugio provenere Beatrix, Machtildis, Eliſabetha, & Margarita; ſed omnes ſine prole, & ante Ioannem extinctum deceſſere. Ducta Beatrice, fœdus cum Flandris Comes init, in conditiones easdem, quis patruus ante pepigerat: & quia jam par moli regiminis videbatur, Geldriæ Comitem, haud dubie Patrum conſenſu, deponere tutelam jubet, quem propriarum rerum cura alienas negligere advertebat. Acceſſerat, quod dote Beatricis occupata, rationem facti reddere abnueret. Itaque abire juſſo Othone, amitæ Adelheidi curam regiminis ad tempus, filio ejus Zelandorum præfecturam committit. Ipſe inſequente anno paternum fatum vindicaturus, bellum adverſum Friſios ſuſ- CIↃ CC
cipit: caſtraque haud procul Alcmaria ponit. In vicino la- LXXII.
cus erat, quo pars illa Friſiorum contra incurſus defendebatur. Vnde vehemens cupido animum Comitis inceſſit, aggere perpetuo directum ad Outdorpiam iter ſternendi. Comportata materie, ſtruitur moles. Quæ poſtquam ad juſtam altitudinem excreverat, Friſii, ſemper hac Hollandis iter apertum in ditionem ſuã fore prævidentes, magno numero ad arma concurrunt, & foſſoribus cæſis aut proturbatis, molem disjiciunt. Ea ubi Comiti à fugitivis nunciata, obviam tendit hoſtibus, victoriæ fiducia Alcmariam jam petentibus. Simulatque intra teli jactum venere acies, priores Friſii, ſublato ingenti clamore, noſtrorum latus tanto impetu invehuntur, ut miles omiſſis armis fugæ ſe mandaret. Dictu incredibile eſt, quam ardentem Comitis animum id irritaverit: adeo ut voce, manu, fugientes retraheret, hortaretur, denique præiret, & pugnam ipſe capeſſeret. Sed formido ad imperia aures clauſerat. Heiligloam uſque fuga delati erant, cum Comes multis admonens, *ut turpem fugam ſiſterent, nec primam ſe duce militiam timore & ignavia*

ſua macularent, poſtremo interrogat: *Quid tantum repente terrorem eorum animis incuſſiſſet? paucine foſſores in fugam acti? Atqui illos ipſos non tam facile ceſſiſſe, ſed arma armis repuliſſe, donec multitudine obruerentur. Exercitumne Friſiis numero parem, virtute ſuperiorem, pati ſuperbam adeo hoſtium inſultationem? Potius mucrones in ora eorum dirigerent, & veſtigia ſua hoſtili, non proprio ſanguine ſignarent. Sibi ſane durum eſſe dedecori ſupervivere: itaque ire jam & ruere in hoſtium aciem, neque credere formidinem inanem Hollandos adeo degeneres facturam, ut proditores Principis ſui audire ſuſtineant.* Miles tam acri ducis oratione, & pudore recuſandi pericula quæ ipſe haud detrectaret, vertit metum in audaciam. Subit ſimul cupido admiſſum nefas cæde hoſtium expiandi. Itaque converſis ſignis repetunt prœlium, quo poſt varia caſuum, & inclinantem in hos aut illos fortunam, tandem impulſi Friſii terga dederunt. Octingenti cecidere, exiguus numerus pro atrocitate prœlii. E noſtris quingenti prima fuga proſtrati; ſed cladem accepere nequaquam è paucitate cæſorum æſtimandam. Etenim promtiſſimus quiſque periit, & in his nobilitate illuſtres, Werenboldus Hagienſis, cum filio Alberto, Walterus Egmundanus, (idem fatum filio ejus Wilhelmo) Theodericus & Gerardus Raephorſtii fratres, Iacobus Waſſenarius, Bernardus Hagienſis, Gerardus Harlemenſis, & Kenemariorum præfectus Walterus Friſius. Comes ſeu victoriam perſequi non auſus, ſeu ſatis ad gloriam profectum exiſtimans, quod à parentis fato ferociores compreſſiſſet, domum remeavit. Eo ex tempore levibus ſubinde prœliis certatum, & globi utrimque populatum digreſſi, non ſine agrorum jactura. Eadem tempeſtate Ioannes Brabantiæ Dux Sylvamducis equeſtres ludos indixit: in quis Florentius Comes, egregiis experimentis ſtrenuitate & armorum ſcientia approbata, equeſtri dignitate à Duce exornatus eſt. Domum reverſus, Adelheidim amitam, quam ipſe primum advocarat, regimine dimoviſſe non contentus, Hollandia pellit. Cauſſam in Anna-

Annalibus non reperio, niſi quod juvenilis impetus arguatur. Sequitur annus celeberrimus, qui ſæculi hujus ſextus & ſeptuageſimus erat, portentoſo partu Margaritæ Hennebergenſis; quæ Regis Wilhelmi ſoror, & amita Florentii Comitis, trecentos ſexaginta quinque infantes ſimul edidiſſe traditur. Miraculi cauſam imprecationibus mulieris pauperculæ adſcribunt: quæ gemellos ulnis circumgeſtans, cum poſtulata ſtipe repulſam à Margarita, & ſimul contumelias paſſa eſſet, quaſi libidine immoderata tori leges exceſſiſſet, Deum precata ſit, ut teſtandæ innocentiæ ſuæ, daret proximo partu Comiti ſobolem numero totius anni diebus parem. Additur, infantibus ſexui melioris Ioannis, reliquis Eliſabethæ nomen impoſitum; omneſque mox, ut à Guidone Epiſcopo ſacra aqua adſperſi erant, una cum matre exſpiraſſe. Hæc tanto conſenſu recentiores ſcripſere, ut fruſtra prope antiquiorum ſilentium iis opponamus. Sed fabulam eſſe vel inde evincas, quod miraculum, quamvis ab Hollandis ſcriptoribus præteritum, tradituri tamen erant externi auctores Germani, Galli, Britanni, alii: quorum cum nullus mentionem ejus faciat, & item illis temporibus nullus Guidonis vocabulo Antiſtes Trajectinis fuerit, certum habeo, falſum prodigium, & paſcendis vulgi ſermonibus fictum eſſe. Mihi vero etiam illos ridere libet, qui adeo ſimplices veteres Hollandos fecere, ut ad gemellos uno partu editos, tanquam novam rem ſtupeſcerent. Anno poſt mille ducentos duodeoctogeſimo, cum Trajectinorum res ſocordia Epiſcopi indies in deterius irent, exhauſtoque ærario reditus ante diem conſumerentur, toparchiæ atque caſtella oppignorarentur, denique & vectigalia vel negligerentur, vel in paucorum quæſtum cederent; Florentius à Patribus Trajectinis ad ordinandam Rempublicam vocatur. Et quoniam privatus ne apud cives quidem, nedum apud nobilitatem quicquam valuiſſet, non dubitarunt ei rerum ſummum arbitrium dare: quod ne infructoſum

ipſi,

CIↃ CC LXXVI. (margin, beside "Sequitur annus celeberrimus")

CIↃ CC LXXVIII. (margin, beside "Anno poſt mille ducentos duodeoctogeſimo")

Digitized by Google

ipſi, neu eo incurioſior publici foret, additæ conditiones, uti Comiti, ejuſque ſucceſſoribus in urbem venire, quando vellent, liceret: iidem Trajectinos auxilio, conſilio, adverſum quoſvis juvare tenerentur. Si Epiſcopi ſedes vacaret, Patres operam daturos, ut eligeretur, quem Hollandiæ Comites commendarent. Diſcordiam, ſi qua in urbe oriretur, bono publico Comes ſopiret, ſive ea inter Epiſcopum & Patres, ſive illos & plebem, ſeu denique inter Antiſtitem & vulgus exiſteret. Aulam ſi Trajecti Comites haberent, conſiliarios tantum Trajectinos, non externi generis adhiberent. His ita tranſactis, reſtitutaque Republica, Comes ad Hollandos reverſus eſt.
CIↃ CC LXXIX. Proximum annum fatalem habuit Flandrorum Comes Margarita; imperium diviſum Flandri Guidoni Dampetræ, Hannonii Ioanni Avennioni ceſſere, qui parenti cognomine ortus, avum habuerat Bochardum, matrem amitam Florentii Adelheidim.
CIↃ CC LXXX. Cæterum apud Trajectinos redacta in ordinem Republica, ingens pecuniæ vis anno poſt mille ducentos octogeſimo ærario illata eſt. Quamobrem Antiſtes Ioannes Naſſavius vertit curas ad oppignorata dudũ loca vindicanda. Quorum Vredelandiam Giſelbertus Amſtelius, Montfortium Hermannus Woerdanus tenebat: & munitionum fiducia, vectigalia acerbius Trajectinis, quã tranſeuntium aliis, extorquebant. Tanto impenſius celerandam debitorum ſolutionem Antiſtes ratus, brevi ſummam quanta requirebatur utrique obtulit, oppignerata repetens. Non erat id animi Amſtelio vel Woerdano, ut cedere vellent locis maximi momenti: itaq; varia cauſſando, & moras nectendo, ad tempus Epiſcopum eluſere. At cum Patres negotium urgerent: palam oblatã recipere abnuentes, ſatisfactum ſibi iis quæ tenebant comprobavere. Irritavit pervicacia & Antiſtitem & Patres: quare pecunia ad uſus militares ſepoſita, bellum utrique inferunt. Amſtelius & Woerdanus, deſpecta Antiſtitis ignavia, & ipſi mercenariorum ingentem

gentem manum colligunt: ac ne diviſi vires frangerent, jungunt copias. Adventabat interea cum exercitu Antiſtes, & poſtquam in conſpectu fuit, Amſtelius obviam cum ſuis procedit, Woerdano cæteros ad incerta caſuum reſervante. Trajectini, nullis à tergo ſubſidiis relictis, protinus hoſtem invaſere. Vt poſt acre prœlium cedentem Amſtelii militem oppoſiti undique premebant, ſurgere Woerdanus, & viribus integer, feſſos facile ſuperat. Capeſſunt fugam Trajectini, diſſipatique Amersfurto tenus curſu delati ſunt. Adegit ea clades Trajectinos auxilium Comitis, quod ex pacto ferre tenebatur, implorare. Sed ille non temere arma movenda ratus, ſi conditionibus tranſigi poſſet, mittit ad Amſtelium Woerdanumque legatos, ut poſitis armis redderent pignora, & controverſiam ſuo arbitrio relinquerent. Iis ſpretis, demum copias educit, & circumvallata Vredelandia, quia augeri ab hoſtibus copias nunciabatur, mittit ad Zelandos Bredenrodium, poſtulandis auxiliis. Acceptis mandatis digreditur cum eorum manu Coſterus Rineſſius. Qui priuſquam in caſtra veniret, Amſtelius Vredelandiam eripere oppugnantibus agitabat, facilius deſtinata proventura exiſtimans ob abſentiam Comitis, qui Hagam abierat. Iam rumor proficiſcentem Amſtelium præcurrebat, quando præfecti, quis ſummam rerum diſcedens Comes impoſuerat, conſultum arbitrati dividere copias, partem unam in caſtris tenere, alteram in occurſum Amſtelii duce Brederodio mittere ſtatuerunt. Is magno animo digreſſus, & prœlium orſus, inter primos cadit; adeo non conſternatis Hollandis, ut ultionis cupidine in hoſtes acrius ruentes, univerſos in fugam compellerent. Ipſe Amſtelius è fuga retractus eſt. Non ignoro, aliter hæc ſcriptorum recentioribus tradita. Quippe necdum reverſo in caſtra Brederodio, Amſtelium cum auxiliis Zelandorum in itinere conflixiſſe volunt, metu ne Hollandis cum certa obſeſſorum pernicie jungerentur. De exitu tamen prœlii

Digitized by Google

inter omnes convenit. Neque mihi anxie diſquirendum videtur, Hollandi an Zelandi Amſtelium ſuperaverint, quanquam antiquiorum fidem magis venerari me non diffitear. Premebatur inter hæc Vredelandia; & quamvis omnia indies arctiora fierent, ſuſtentabat tamen propugnantes ſpes in Amſtelio. Quem ubi captum, & oneratum vinculis ipſi adſpexere (nam vallum circum in ſpeciem triumphi ab Hollandis ductus erat) auctore Amſtelii fratre Arnoldo, qui caſtello præerat, pacem petunt. Igitur in caſtra vocatus Comes, ut ab eo victi leges, ipſe expugnati loci gloriam acciperet. Ea re peracta, traditoque caſtello, Amſtelius cuſtodiæ includitur, Comes mox ad Montfurtum ſuos rapit, quod, obſeſſa Vredelandia, tantis operibus Woerdanus muniverat, ut inexpugnabile videretur. Viſum nihilominus Florentio militum alacritatem experiri. Poſtquam defendentium conſtantia irriti conatus fuere, licet hyems impendebat, obſidium ordiuntur. Quod integrum per
CIƆ CC LXXXI. annum obſeſſi duravere: quando disjecto vallo irrumpentes Hollandi, quicquid in urbe erat, occidioni dederunt, exceptis duobus quos latibula texerant. Woerdanus iram Comitis veritus, audita Montfurti expugnatione, profugit. Cæterum anno hujus ſæculi quinto & octogeſimo & illi, & Amſtelio, impunitatem Comes conceſſit, dummodo jurejurando ſe nec ei, nec ſucceſſorum cuiquam, aut Antiſtiti moleſtos fore, ac Vredelandiæ & Montfurti poſſeſſionem Trajectinis relicturos, promitterent, proque belli hujus impenſis profiterentur, quas tenebant toparchias, Hollandiæ Comitum feuda eſſe. In has ſi leges peccarent, cunctas quas poſſidebant ditiones Comiti ceſſuras, ipſumque ab Eccleſia Trajectina, eo quo ipſi modo habuerant, recepturum. Pace itaque conſenſu Epiſcopi facta, Florentius ignoviſſe & Amſtelio & Woerdano non contentus, utrumque in amicorum numerum, & arcanorum conſcientiã, ſed pœnitenda facilitate recepit. Amſtelodamenſibus autem, ob

ob accepta hoc bello detrimenta, vectigalium immunitatem dedit. Sed Antiſtes Naſſavius, ad levandos ſumtus à Comite factos, decimas illi, quas Hollandi pendere ſolebant, feudi nomine tenendas conceſſit: addito tabulis ſibi nec ſucceſſoribus jus unquam fore eas repetundi. Simul Vredelandiam atque Montfurtum reliquit, donec ex aſſe ſatisfeciſſet. Veruntamen hæc loca à Comite reddita, cum, decimis & ſummo in Amſtelios Woerdanoſque imperio potitus, penſatos ſatis belli ſumtus exiſtimaret. Hæc cum Amſtelio & Woerdano geſta, quanquam nonnulli ad annum ejuſdem ſæculi quintum & ſeptuageſimum, alii ad duodenonageſimum referant; tamen hoc anno eveniſſe, & ex Stokio colligitur, & ſatis arguunt tabulæ Delfenſium, quas à Comite anno octogeſimo in caſtris ad Vredelandiam ſignatas accepere. Media hyeme inſequentis anni, qui poſt mille ducentos octogeſimus ſecundus erat, repetit Comes improſpere antea tentatam in Friſios expeditionem. CIↃ CC LXXXII. Primoque obvios ad Schellinghoudam hoſtes fudit. Exin Hoochwoudam, triſtem paternæ necis memoria, intrepidus petit: nam magnam illuc Friſiorum multitudinem armatam conveniſſe nunciabatur. Pugnatum eſt odio internecivo, ut ferme inter infenſos. Attamen, qui ulciſcendæ Regis neci venerant, vicere. Pulſi Friſii terga dant, quis inhærens Comes tantam edidit ſtragem, ut non alia illis temporibus clarior victoria Hollandis fuerit. Et tamen ſexcentos modo periiſſe, audent quidam affirmare. Quod ut vanum mihi, ita illorum quoque fides ſuſpecta eſt, qui vel viginti, vel duodequadraginta Friſiorum millia cecidiſſe tradiderunt. Veritati proximos crediderim, qui de ſenis millibus ſcribunt: licet Stokius, dum Alexandri Magni, & Trojanorum prœliis hanc pugnam comparat, cladem majorem innuere videatur. Sed eum ego non tam cæſorum numerum, quam atrocitatem certaminis, reputaſſe exiſtimo:

V 2 quando

Digitized by Google

quando & inter cætera multos è nobilitate Zelandica comminus cum hoſte congreſſos aſſerit. Ea pugna, in reliqua Friſiorum multitudine, captus à Comite ſenex, qui quondam tumultuario prœlio, quo Wilhelmum cecidiſſe retulimus, interfuerat: & gnarus, ubi conditum Regis cadaver eſſet, quærenti Florentio locum commonſtravit. Sextum & viceſimum poſt annum erutum humo paternum corpus mœſtus Comes conſpexit: debellatiſque Friſiis, & ad coercendas eorum incurſiones exſtructo caſtello, Wideneſſa, Trajectum reverſus eſt. Inde Middelburgum genitoris cadaver deferens, magnifico tumulo in templo cœnobii incluſit. Poſt abitum ejus Friſii, nullis cladibus fracti, imperium ilico detrectavere: quin & ultro laceſſentes, Wideneſſam ſæpius adgreſſi ſunt, quamvis irritis conatibus. Tertius & octogeſimus ejuſdem ſæculi annus

CIↃ CC LXXXIII. Brabantos & Geldros commiſit. Exceſſerat Limburgenſium Dux Henricus: cujus unicã ſobolem Ermgardim uxorem Geldriæ Comes habuerat, & quamvis extincta ſine liberis conjuge, hæreditatis in ſe jus trahebat. Propior hoc, & ſanguine junctus Adolphus Comes Montenſis: ſed quia viribus cedebat, congredi non auſus, Brabantiæ Duci jus ſuum vendidit. Hinc conflatum bellum, priuſquam erumperet; ob Arragonicam expeditionem Philippi Gallorum Regis, cujus poſtulatis Brabantinus una ivit, in triennium differtur. Eadem tempeſtate Florentius Comes toparchis Egmundanis jus Rinegomi exules Hollandos recipiendi confirmavit, quod multis

CIↃ CC LXXXIV. abhinc annis exercuerant. Vidit inſequens annus motas Germanorum res falſi Frederici ludibrio; dum quidam corporis habitu, atque ipſa adeo ætate Imperatoris æqualis, falſos rumores de nece ſua cucurriſſe; ſeque illum Fredericum in quem Pontificis inſtigatu Henricus, Wilhelmus, aliique inſurrexiſſent, eſſe aſſerit; propiore ad fallendum fide, quia ſuper ſimilitudinem oris multa quoque arcana, & paucis

paucis in imperio nota referebat. Complures inde concurrere ad celebritatem nominis, & cupidine viſendi, quem pridem extinctum quiſque rebatur. Poſtquam ad Friſios quoque fama rei tranſiit, vere redditum Cæſarem rati, mittunt ad eum legatos, queſturos de perpetuis Hollandorum in agrum ſuum excurſionibus. Quorum ille cauſſam ſuſcipiens, è veſtigio per literas monet Comitem Florentium, *ni finem irruptionibus faceret, arma ſe ſumturum. Siquid in Friſios juris vindicaret, in Miſniam veniret ad ſubmittendas ſuo arbitrio controverſias.* Non tenuit indignationem Florentius, & impudentiam hominis perſtringendam exiſtimans, reſcripſit: *Sero triceſimo poſt extinctum Fredericum anno, nomen illius ab impoſtore ſumi: & durantibus adhuc, qui cadaver Imperatoris ipſi conſpexiſſent. Parum ſibi conſulere eos, qui Principum vocabulis temere ludunt. Nam quod falſo Imperatoris mortem vulgatam, & tam diu latuiſſe illum ferrent; nequaquam adeo fractas Frederici tum vires fuiſſe, ut fortunam diſſimulare neceſſe habuerit: & quamvis fuiſſet, non abdi triginta annis tam inluſtre nomen. Proin, ſi ſapiat, iterum ad veteres latebras reverſurum: nam nec arma ejus metuere ſe, nec pro Imperatore habere, qui ne Miſniæ quidem præfecturam obtineat.* Nec multo poſt, quiſquis ille erat, ab Archiepiſcopo Colonienſi captus, cum culpam agnoviſſet, vivus igne crematus eſt. Biennium ab eo tempore tranſierat, cum reverſo ab Arragonica expeditione Ioanne Brabantino, bellum inter ipſum & Geldriæ Comitem exarſit. Prior Geldrus Brabantiam irruptione ſua turbavit: tum Dux alio itinere Geldriam petens, Bommeliam, Thilam, Heuſdam, & Malrepam Comiti eripuit: verſoque ad Limburgenſem agrum itinere, urbium principem, & regioni cognominem occupat, capto incenſoque caſtello Mullenio, quod iiſdem locis ſitum erat. Diverſa parte fœderatus Brabantino Comes Florentius Geldriam invadens Novum-Foſſatum redegit in poteſtatem. Id bellum varia exin fortuna per duos geſtum annos, tandem prœlio finitum eſt. Quarta & decima

CIↃCC LXXXVI.

Digitized by Google

CIↃCC LXXXVII. cima Decembris die, anni, qui ſupra mille ducentos ſeptimus & octogeſimus erat, ſolitum terris noſtris malum incubuit. Quippe excitus tempeſtatibus Oceanus, paſſim perruptis aggeribus, cuncta inundavit. Meridionalem Hollandiam, Friſiam utramque, Zelandorum inſulas excepta Walachria & Wolfardi aggere, fluctus obruerunt: non ſine damno reliquarum, quæ ad Germanicum Oceanum jacent ditionum: in quis tamen primus Friſiorum locus fuit, octoginta hominum millibus aquæ hauſtis. Sed Florentius Comes, quod caſus dederat, in prudentiam vertendum ratus, Brederodium maxima cum claſſe adverſum Friſios miſit, quo ſingulos adgreſſus pagos, miſeris eorum reliquiis obſides extorqueret. Nec quiſquam Friſiorum poſtulata detrectavit, cum nec ad fugam, nec ad opem ſociis ferendam naves eſſent. Itaque nobiliſſimum quemque, & magnæ apud ſuos auctoritatis, Brederodius in Hollandiam obſides abduxit. At ſimulac aquæ receſſerunt, Comes ipſe ad exCIↃCC LXXXIIX. ſcindenda belli reliqua profectus, Friſios deditionem ultro offerentes accepit; quod primo & viceſimo Ianuarii die eveniſſe, confectæ hac de re tabulæ teſtantur. In Hollandiæ Chronico, quod Goudanum nuncupant, reperio Comitem, ſubjugatis Friſiorum illis, qui in occaſum vergunt, orientales petiiſſe, indeque miſſos à Staveranis ac cæteris civitatibus legatos, qui imperata ſe facturos denuntiarent. Quæ ob merita, multa Comitem illis indulſiſſe, tabulis anno hujus ſæculi nonageſimo Albertibergæ in Kenemaria ſignatis. Cæterum hæc ſcriptorum antiquioribus tradita non eſſe, dicere ſufficiat. Florentius, ſubjugatis Friſiis, ut populum qualiſcumque jugi intolerantem coerceret, quatuor caſtella exſtruit. Primum in Veronenſium agro, qui pagus apud eos nobiliſſimus; inde aggere ad Alcmariam uſque ducto Middelburgum incluſit; tertium ad Medenblicam jactum, poſtremo in media Friſia Emingeburgi nomen impoſitum eſt. Vix pacatis Friſiis novum

Digitized by Google

novum & gravius bellum in Zelandia Comitem excepit. Cauſſam & originem jam olim præbuerat pueritia Comitis; qua durante, nobilium multi privatam potentiam adeo auxerant, ut Florentio nihil præter nomen Principis maneret. Qui pridem, ſimulatque firmatior ætas capacem imperii feciſſet, obviam huic malo ierat, veritus ne mora remedii ſpes minueretur. Sed quemadmodum nobilitas in augenda potentia, ita & circumcidendo eam modum omnem Comes exceſſit, prætexens pœnam, quamvis gravem, juſtitiæ nomen mereri, in eos, qui in Rempublicam deliquiſſent. Sed alia longe volvebat animus, majoris in ſubditos dominii aviditiſſimus. Excivit ea res iram Wolphardi & Florentii Borſalienſis, item Ioannis Reneſſii, aliorumque autoritatis magnæ apud Zelandos. Itaque haud tacite indignantes, palam rebellandi occaſiones cunctas tentabant. Et poſtquam plebem Comiti addictiſſimam concitare fruſtra adniſi eſſent, univerſam Zelandorum nobilitatem, cum multis è potiſſimis Hollandiæ familiis, in quis promtiſſimus facile Theodericus Bredenrodius, partibus ſuis, pro communi nobilitatis ſalute, accedere compulerunt. Simul à Guidone Flandrorum Comite, infeſto Hollandis, quia juri in Zelandiam renunciare coactus erat, auxilia adverſus Florentium petunt. Nec ille abnuit, juſta arma exiſtimans, quæ Patrum plurimi adverſum violentiam Comitis ſui poſcerent. Mox dimiſſis legatis, brevi ſe cum totis Flandriæ viribus adfuturum pollicetur, admonens ut interea & ipſi neceſſaria providerent. Harum fama rerum inopinantem, & & imparatum bello Florentium deprehendit. Qui Walachris, & maxime Middelburgo metuens, protinus conjugem Beatricem, eandem Guidonis filiam, cum nato Ioanne eo dimittit, quo oppidani ſuæ fidei ſummam Comitis ſpem, pignora dilectiſſima concredita advertentes, nihil inauſum intentatumve defendendæ urbi relinquerent. Pateſcit hinc error eorum, qui

Digitized by Google

qui demum poſt hoc bellum Beatricem à Florentio ductam aſſerunt, cum Ioannes filiorum Comitis noviſſimus fuerit. Inter hæc transgreſſus in Walachriam Guido, copias cum nobilibus jungit, & quod maxime Comes timuerat, Middelburgum circumvallat. Diſtinctis exercitibus conjurati Flandrique urbem adoriebantur, quo virtus cujuſque magis in aperto foret. Certatim itaque vineas agere, admovere ſcalas, deturbare vallo propugnantes, denique & dolabris ſubruere muros nitebantur; haud impigre mœnia defendentibus oppidanis. Verum cum pericula indies intenderentur, & paucos ingentem exercitum haud diu ſuſtentaturos manifeſtum eſſet: Comes ſollicitus undique militem ſummo ſtudio contrahebat. Sed plurimi è nobilitate militiam abnuere, dum ſuam agi cauſſam, & oppreſſis Zelandiæ nobilibus, in cæteros quoque ſævitum iri metuunt. Nonnulli Principis reverentia nomina dedere. At plebes ingenti ardore ad bellum properabat, læta nobilitatis arrogantiam ab eo infringi, cui hactenus innitebatur. Igitur cum magna multitudine ſolvens Florentius, Zirixeam proſpere defertur. Inde in Walachriam feſtinantem attinuit Brabantiæ Dux Ioannes, & pacis omnes vias tentare certus, hunc in modum diſſeruit: *Si adverſus externum hoſtem ſuſcepta arma poni peterem: & tibi haud dubie preces meæ ſuſpectæ forent, & juſtæ cauſſæ conſilium rejiciundi. Nunc dehortanti, libertatem addit reputatio belli, quod, quomodo finiatur, tua damna ſecum trahet. Hoſtilis exercitus pleriſque ſubditis tuis conſtat, quos æquis conditionibus, & incorrupto honore tuo facilius, quam per vim ad officium revocaveris. Vtile id tibi: nam, ne coactos armis amicos credas, non perinde animis hominum, ut corporibus, imperatur. Offenſi, tametſi recondant, retinent tamen odia, & ſimul occaſio invitat, promunt. Ergone tanta libido eſt parentes cum filiis, amicos cum proximis committere, & civili ſanguine immergere tuam ditionem? Quamvis victor, ubi impetus abſceſſerit, deflebis tam male collocatam fortitudinem tuam, & tropæa ſubditorum vulneribus parta. Sed enim pellere Wala-*

chria

Digitized by Google

chria Guidonem meditaris. quaſi vero vel hoc periculo ſuo careat, vel ubi ſucceſſerit, non magis mutaveris bellum, quam finieris. Non deerunt unquam conjuratis opes & auxilia externa: quæ ſi in ditionem tuam venerint, armis non minus tum tuenda erit victoria, quam nunc quærenda. Eo, quod tibi conſultum magis, & Chriſtiano homine decentius eſt, committe mihi pacis curam; quam ipſi quoque Guidoni placere, & facile proceſſuram ſcio, ſi dexteras jungere, & mutuo aſpectu renovare veterem amicitiam licuerit. Haudquaquam pronis hæc auribus Comes accepit, avidus prœlii, avidus gloriæ, ideoque ægre arma omiſſurus. Vicit tamen poſtremo pervicacia Brabantini; qui eum Bierſvlietam Flandrici juris oppidum pertraxit, diſceptandis ibidem pacis legibus. Statim & Guido adfuit, ſed haud pacatus, uti Brabantinus ſperaverat, nec ad tractandas conditiones: verum Comitem comprehenſum cuſtodiri juſſit. Enimvero ille perculſus inopino caſu, & iræ impos, ad Brabantinum: *Hoc*, inquit, *illud erat? prodere agitaviſti, perfide, cujus arma timebas? Ego tantum ſimplicitati meæ ſuccenſere poſſum, quod in maxima fortuna maximam fidem eſſe falſo putavi. Sed Deum teſtor, libertatem meam ſimul cum ultione de te incepturam. Nec deerunt Florentio vires, quis proditoris ſcelus vindicet.* Brabantinus, etſi famam ſuam aperte lacerari audiebat, tamen erroris culpam penes ſe eſſe gnarus, quod Guidoni illuc Comitem adducere jubenti temere crediddiſſet: *Quandoquidem*, reſpondit, *hujus tibi infortunii auctor ſum, id primum peto, ne per imprudentiam lapſum perfidiæ incuſes. Teſtem poſco Deum, cui abſtruſa cogitationum nota ſunt, innocentem me, & ſine ulla doli ſuſpicione, ut huc venires, conſuluiſſe.* Loquebatur adhuc Brabantinus, cum Guido interrumpens, mittere juſſit intempeſtivas contentiones. *Non intereſſe ſua, quem penes culpa foret: habere ſe in manibus Florentium, nec dimiſſurum, vellet, ſive nollet Brabantinus,* Hæc quanquam plenum indignationis Comitem paullulum leniverunt; præcipue ubi diligentiam Ducis (quippe utriuſque ille auxiliis adverſus Geldrum indigebat) in pace ſuadenda advertit. Qua

Digitized by Google

tandem effectum, ut Comes pro ingenti æris ſumma dimitteretur; vade ſolutionis apud Guidonem manente Brabantino. Sed Comes, ubi ad ſuos remeavit, ipſum ſeſe exſolvere & temeritatis pœnas dare juſſit. Sic Brabantinus Guidoni promiſſum æs præſtare coactus, ab eo tempore à Florentio animum avertit, ut in contextu operis memorabitur. Cæterum Florentius, poſtquam cum Guidone pax erat, conjuratorum principem Wolphardum Borſalium in exilium egit; altero ejuſdem familiæ, & Reneſſio, in priſtinum amicitiæ gradum receptis. Verum, quamquam ignoſcente Comite, non tamen illi injuriæ memoriam poſuerunt. Quippe, quæ primas iras provocaverat, manebat ſuſpicio, conari Florentium nobilitatis opes infringere. Reverſo ad Hollandos Comite, Ioannes Brabantinus cuncta ad Geldricum bellum parare cœpit. Iuris quicquid in Limburgum ſibi arrogabat Geldrus, Luxeburgenſium Comiti vendiderat, quo validior deſerere cœpta Brabantinum adigeret, Sed ille nihilo ſegnior, poſtulato civium Colonienſium arcem Woringam obſidet. Nam firmaverant vires ejus auxilia Adolphi Montenſis, Valerani Iuliacenſis, Everardi Marchani, Arnoldi Loſſenſis Comitis, & præter hos nonnullæ cohortes Hollandorum ductu Ioannis Arkelii à Florentio miſſæ. Geldrus ut premi Woringam accepit, properus eripiendis obſeſſis, & ipſe ſocios cogit. Convenere Colonienſis Antiſtes, Comes Luxeburgenſis, Adolphus Naſſavius, toparcha Falcoburgenſis, aliique fœderati. Ii poſtquam junctis viribus propinquabant, deſerit obſidium Brabantinus, & cominus in hoſtem tendit. Ab ortu ad occaſum lucis ambigue dimicatum eſt. Tandem victoria Brabanto ceſſit, capti pene omnes hoſtium duces. Luxeburgenſis cum tribus fratribus, & quadringentis è primaria nobilitate occubuit. Geldriæ Comes ipſe in poteſtatem veniens non ante dimiſſus eſt, quam ejuraret, quicquid juris in Limburgum ſibi vindicarat. Ob ſtrenue ab Arkelio

Digitized by Google

kelio navatam hoc bello operam, Dux conceſſit Gorichemenſibus ejus ſubditis ſine ullo impedimento per cunctas ditiones ſuas expertes teloniorum & vectigalium mercaturam exercere. Quopacto autem Arkelius Gorichemo potitus ſit, incertum mihi, ni ducta Benthemienſium Comitis filia, quorum is locus erat, dotis nomine obtigerit. Vtcumque ſe res habeat, illud manifeſtum, anno hujus ſæculi nonageſimo, Florentio Comiti fidem de Gorichemo addixiſſe. Quando & Theodericus Bredenrodius in gratiam receptus, ſed conditionibus ſatis iniquis. Etenim inter alia fateri adactus, jure ſe, & ſucceſſores ſuos, ditionibus cunctis privatum iri, ſi in ulla re promiſſis non ſtetiſſet. Sub idem tempus Theodericus Cliviorum Comes Hagam veniens, in Florentium cognatum tranſtulit, quicquid juris habebat in Hueſdam, agrum Altenaenſem, & Worichemum. Quo facto Ioannes toparcha Hueſdanus Florentio fidelitatis juramentum dixit, hactenus Cliviis præſtitum. Eodem tempore inſtituitur à Florentio ordo equitum S. Iacobi, in quem duodecim magni nominis viri adſciti. Eos inter primus Theoderico Cliviæ Duci, proximus Lanceloto Hamelſtongio, Scotorum ad Florentium legato, locus fuit. Cæteri traduntur Godefridus Bocholtius Weſtphalorum, Henricus Comes Hennebergenſis, Colonienſis Archiepiſcopi legatus, Theodericus Bredenrodius, Ioannes Hueſdanus, Ioannes Arkelius, Theodericus Lindanus, Otho Aſperæ, Iacobus Waſſenariæ, Gisbertus Amſtelii, & Hugo Vianæ toparcha. Hi omnes, Ioanne Trajectinorum Antiſtite coram, dicto juramento, argenteum torquem auro pictum, & ſenis cochleis ornatum, appenſa S. Iacobi imagine, dono à Comite acceperunt. Hęc haud injuria ſuſpecta ſint, cum in tabulis Hamelſtongius Henrici Scotorum Regis legatus dicatur. Nam nullum tunc Scotis Henrici vocabulo Regem fuiſſe conſtat. Ego ut genuinas eſſe tabulas conceſſerim, ita Henrici Regis nomen ab imperitioribus inſertum arbitror.

CIↃCC XC.

Quippe ſuperiore anno extinctus ſine prole Alexander diviſam in eligendo ſucceſſore Rempublicam reliquerat. Vnde manifeſtum, qua de cauſſa Scotorum legatus ad Hollandos venerit. Multis enim ſanguinis jure Regnum poſcentibus, & populo in diverſa dilapſo, non dubitem miſſum à proceribus nonnullis Hamelſtongium, qui Florentium ad petendum imperium hortaretur, quando progeniem ad Adam, Milcolumbi
CIↃCC & Wilhelmi Regum ſororem, referebat. Confirmat opinio-
XCI. nem iter inſequente anno à Florentio in Britanniam, petendo Scotorum regno, ſuſceptum. Quod cæteros inter affectabant Ioannes Balliolus, & Robertus Bruſchius, ſanguine defuncto Regi junctiſſimi, & Florentio ipſo propiores. Nam Balliolus ex Davidis (qui frater Regis Milcolumbi) filia maxima pronepos, Bruſchius ex ſecundo genita nepos, Florentius è ſorore Davidis Ada abnepos erat. Diu diſceptato, cum nullus contentionum finis eſſet, placuit rem totam permittere arbitrio Eduardi Anglorum Regis. Qua de re tabulis confectis, princeps Florentius ſcripſit, ſtaturum ſe eo, quod Rex pronunciaſſet, exin & reliqui. Eduardus, cuncta ad propriam utilitatem referens, protinus vocato Bruſchio Regnum offert, addita lege, ut tanquam Angliæ feudum poſſideret. Ille enimvero negavit tanti ſibi dominationem eſſe, ut liberam gentem alterius imperio ſubjiceret. Tum accitus Balliolus, & regni avidior, & jure, ut videbatur, potior, cuncta acturum promiſit. Prius tamen quam potiretur imperio, jubetur Florentio æris magnam vim annumerare, pro jure, quod ei competeret. Cui ille accepta pecunia, renunciavit, indignantibus Hollandis, quod tam facile ceſſiſſet jure, quo cæteris æqualis eſſet; nec dolum Eduardi, ſub ſpecie arbitri propria commoda conſectantis, perſenſiſſet. Sed eos in Comitem injurios, & potiorem jure Balliolum fuiſſe, nullus dubitaverit. De Bruſchio fortaſſis gravior quæſtio ſupererat, quando ille

Digitized by Google

ille Davidis ex filia minore nepos, alter ex majore pronepos erat. Florentius tamen ad ſuos remeans, non eodem amore ſuſceptus eſt. Exin triennio rurſum in Britanniam Comes proficiſcitur, matrimonio inter filium Ioannem, quem unicum habebat, & Eliſabetham Rege Eduardo genitam tranſigendo. Falluntur autem, qui hoc ad prius iter referunt, quod poſcendo Scotorum regno Comitem ſuſcepiſſe memoravimus. Stokius, magnæ auctor fidei, bis profectum tradidit, primo Regni, dein conjugii cauſſa. Eodem tempore fœdus inter Eduardum Regem, & Comitem ictum eſt, ut communes amicos & hoſtes uterque haberet. Florentius ipſe, relicto in Britannia filio, in Hollandiam rediit. Nec multo poſt, Gallos Angloſque inter, bellum exarſit. Qua de cauſſa miſſi ab Eduardo ad Adolphum Imperatorem, qui eum in partes traherent. Dordrechti Cæſaris & Regis legati convenere. Moxque initum fœdus, annitente huc plurimum Florentio: cujus opera adeo Eduardo grata fuit, ut ediceret, nequis Anglorum lanas alio, quam Dordrechtum, venum deferret. Sed Anglorum tum inconſtantia, aut lucri cupidine factum, ut Mechliniam pleraſque deveherent, quia carius illic diſtrahebantur. Senſit tamen Comes, ſponte Regis id eveniſſe. Et tametſi experimentum Britannicæ fidei cepiſſet, noluit tamen palam Regem irritare, aut hoſtibus ejus ſemet jungere, priuſquam in aperto foret, quo cuncta Britanni conſilia tenderent. Statim ad Robertum Atrebatenſium Comitem delata eſt fama, Florentium ab Anglo injuria affectum. Itaque facile eum in ſocietatem Gallorum, quos ipſe ſequebatur, trahi poſſe, & ingens ad bellum momentum vires ejus fore, ratus, mittit legatos, qui eum ſub ſpecie gravium negotiorum in Hannoniam accirent. Quippe intelligebat, ſuſpicionibus materiam ſe præbiturum, ſi ipſe in Hollandiam contenderet. Florentius nec diu contatus, nec magno comitatu, cæteris ignaris Montes Hannoniæ

CIↃ CC XCIV.

 venit.

Digitized by Google

venit. Hic quid actum ſit, plurimi dubitant, nullus affirmavit; quanquam vix ambigam, ſocietatem Comitis ab Atrebate tentatam. Cæterum Florentius prior fœderis leges violare recuſans, haud multo poſt ad ſuos remeavit. Ita totum iter, ſub ſpecie inviſendi cognatum Hannoniæ Comitem, peractum eſt.
CIↃ CC XCV. Quinto poſt nonageſimum anno, Guidonem delectibus habitis naves conquirere, & contra pacta trajectum in Zelandiam meditari, ad Florentium nuncii detulerunt. Qui nonnullis in Zelandiam præmiſſis, uti populum ad conſtantiam, & cuncta adverſum hoſtes diſponenda hortarentur; ipſe coacta ſubito ingenti multitudine, Vliſſingam advehitur, & quia bellum inferri quam propulſari ſatius exiſtimabat, Ioannem Reneſſium in Flandriam prædatum ire jubet. Reneſſius impigre mandata exſecutus, incenſa Sluſa, & ingenti vaſtitate agris illata, cæſis etiam aut captis ternis Flandrorum millibus, præda gravis revenit. Friſios, itineri imparatos, diſcedens ex Hollandia Comes ſubſequi juſſerat. Qui poſtquam adfuere, facile, rapto vivere ſoliti, poteſtatem à Comite acceperunt Cadſandiam, Flandriæ ditionis inſulam, & Walachriæ litora contra ſitam, invadendi. Duce Bredenrodio moverunt, & quamquam adverſa litora Flandrorum armata multitudo compleviſſet, exſcenſum nihilominus faciunt, rejectoque hoſte incendia prædaſque latiſſime agunt. Quin & Flandros, contratendere auſos, devicere, proſtratis militum mille quadringentis. Flandri, ne graſſante paſſim hoſte ſegnes ipſi otium tererent, paulio poſt conſcenſis navibus Beerlandiam, unam ex inſulis Zelandorum, ſed nulla urbe celebrem, & vix aggeribus adverſum maris inſultum ſe tuentem, petivere: nulloque reſiſtente, omnia depopulati ſunt. Florentius jam Zirixeam abierat, cognitoque hoſtium tranſitu, Dodinum Everingum, & Borſalium, militem illuc & naves rapere jubet. Illis, de ratione invadendi hoſtis conſultantibus, maxime in rem viſum, ut alter à tergo hoſtes adoriretur, alter
claſſe

claſſe flumina & exitus obſideret, prohibendæ fugæ. Nec ſpem deſtituit fortuna: territi inopino impetu Flandri, pars arma cepere, alii nihil fuga potius rati, naves quis trajecerant celerrime repetunt. Statim pulſis qui reſiſtebant, fugientium tergis noſtri hæſere. Et dum ſimul ab illis, qui in claſſe erant, naves oppugnantur, Flandri undique circumventi ſternuntur. Plurimos inconſultus pavor nando fugam tentare adegit; quæ poſtquam immenſa & ſine ſpe erat, in mediis fluctibus deficientes, miſere hauriebantur. Adeo ut cum ducenti tantum ferro ceciderint, plures millenis ſubmergerentur. Ex ternis millibus, quæ transjeciſſe conſtabat, trecenti modo navibus evaſere: & ex his ipſis una, plena fugientium, in Zelandorum manus venit. Septimam & viceſimam Octobris diem hac victoria lætam Florentius habuit: ipſeque in Beerlandiam tranſgreſſus, & laudatis ob rem bene geſtam militibus, duces in conſilium adhibuit, exquiſiturus quomodo captivos habendos cenſerent. Pleriſque duriora placebant, terrendis exemplo Flandris, ne poſthac irruptionem auderent. Sed Comes, *culpæ vulgus expers, nec juſſa ducum detrectare potuiſſe* dictitans, *paterno exemplo cæteros domum nudos remittendos, retentis quos opes & altum genus à multitudine ſecernerent*, exiſtimabat. *Etenim ſi omnino occidioni dare eos viſum fuiſſet, fruſtra vinculis oneratos. Rationem quoque habendam conjugum & liberorum, quos ſublatis viris in extrema præcipitarent.* Facile Comitis moderationi ab reliquis adſenſum eſt. Exuta itaque turba ad ſuos remittitur. Ita Guidonis conatus evanuêre. Florentius, compoſitis Zelandorum rebus, ad celebrandum natalem Domini in Hollandiam properavit. Vbi mox novæ in eum iræ. Etenim nobilitatem aſſiduis bellis imminutam cauſſatus, quadragenos patriciis familiis oriundos ad convivium adhibuit, & aſſignatis cuique inſignibus, equites creavit. Magna id nobilitatis indignatione exceptum eſt, quæ communicatum cum multis honorem vileſcere, & tanto magis deinceps ordinem

ſuum

Digitized by Google

ſuum deſpectui fore haud falſo reputabat. Nec dubitaverim, Comitem, offenſis nobilium pleriſque, hoc obtentu quæſiviſſe munimentum, cui adverſum eos inniteretur. Vtcumque ſe res habeat, orta inde ſuſpicio, iis artibus, majorem in Hollandos, quam juſte habere poterat, auctoritatem quærere. Interea & Anglorum Regis averſus ab eo animus, & in Guidonem Gallorum hoſtem pronior, indies magis magiſque pateſcebat. Quod ille pactis adverſari, ſeque Gallorum hoſtem ob Britannicam ſocietatem advertens, ne ab omnibus deſertus ſingulis præda
CIↃ CC foret, principio inſequentis anni, paucorum Patrum conſcien-
XCVI. tia adhibita, Pariſios ad Philippum Pulchrum Gallorum Regem contendit. Pacem factam conſtat, conditiones ignorantur. Fertur tamen invitis adeo atque inſciis Patribus de Hollandis Gallo ſubjiciendis egiſſe: ea tamen lege, ne ipſe ſucceſſoresve parlamento intereſſe tenerentur. Promiſſa etiam à Comite in Britannos auxilia comperio, ſi librarum Turonenſium millia quina & vicena, deinceps in ſingulos annos quaterna Gallorum Rex annumeraret. Hinc maturatum ipſi exitium. Quippe proceres machinantem talia ut cognoverunt, jure excidiſſe imperio rati, everſum cupiebant. Nec latuit Eduardum Anglorum Regem nobilitatis indignatio, quem graviter offendit Gallorum amicitiam ſuæ antehaberi. Eo miſſis ſtatim ad Comitem legatis, non ſine exprobratione quæri juſſit, *quo pudor, quo fides Florentii abiiſſet, qui fœdus intra tertium annum violaret, & cum jurato hoſte paciſceretur? Oblitum videri eum, eſſe adhuc ſuis in manibus ac poteſtate generum, filium ejus & ſpem unicam.* Ad ea Florentius commotior animi: *Quandoquidem*, inquit, *jam eo impudentiæ Rex Eduardus proceſſit, ut innocentis quoque intemeratam fidem conviciis lacerare audeat, vos ſubdoli Regis legatos interrogaverim, qua fide Eduardus auxilia mihi adverſum hoſtes promiſerit. Invaſit Flandrorum Comes Guido agros meos, aſſiduus ditioni meæ velut ſpecula imminet. Rexne aut tulit opem, aut hoſtem eum habuit? Quin vero laudare, & palam favorem*
ſuum

ſuum prodere haud dubitavit, ob internecivum in Gallos odium. Proin hæc Regi veſtro renuntiate, nunquam me ad Gallicam ſocietatem iturum fuiſſe, ni alienata Hollandis Eduardi mens erupiſſet. Huic everſi fœderis cauſſam adſcribat. Etenim valde illum opinio fallit, ſi ob filium ſegnius me acturum arbitratur. Agnoſco in illo meas & Reipublicæ ſpes ſitas: ſed nihilominus fortiter laturus ſum, ſiquid ſoceri ſævitia in generum durius ſtatuerit. His ad Eduardum relatis, generum ſuum, eundemque Florentii filium, ad ſe vocat, ejuſq; animum tentans, exponit, quæcumque parens protuliſſet. Iuvenis conſtanti animo ac breviter: *ſe quidem maluiſſe,* inquit, *manere vinculum, quod inde patrem, hinc ſocerum conjungebat. Nunc poſtquam arbitrio ſuo locus non eſſet, nec præſcribere liceret his, quorum juſſis obſequi teneretur, fore ſe in ſoceri poteſtate.* Movit generi conſtantia Regem, nequid in culpæ immunem gravius decerneret. Sed in parentem juſtior ira videbatur; quem omnibus modis in poteſtatem ſuam redigendum exiſtimabat. Bello perſequi, ut anceps, ita & longum, diſplicuit. Eapropter Guidoni Flandrorum Comiti, & Ioanni Brabantiæ Duci rem totam commendat, nihil ambigens preces ſuas ſatis illorum odio adjutum iri: nam Brabantinus ob vadimonium cujus ſupra meminimus, Guido ob Zelandorum inſulas, quanquam compoſita à Florentio tutore lis erat, infenſi permanebant. Hi Gerardum Velſenium aggrediuntur, gratia Comitis validum, & nuper ad magna evectum, cui animus truculentus, & ad facinora quævis paratus, fides fluxa, ac venalis erat. Tradunt alii Velſenium nemine impellente exitium Comiti molitum, vindicando uxoris ſtupro. Cæterum in ſummo ſilentio illius ævi ſcriptorum, non dubium fabulam eſſe, quæ vulgo fertur de violata ejus conjuge, ortam ex verbis Stokii perperam acceptis. Velſenius & promiſſis, & cupidine ulciſcendi cognatum Ioannem à Florentio peremtum, facinus ſuſcepit. Tum magna prudentia ſocios conjurationis deligendos ratus, Hermanni Woerdani fidem ſollicitat, & diu recuſantem, poſtremum, de-

Digitized by Google

teſtãdo ignaviam ejus, quod exilii, proſcriptionis, & ereptorum bonorum memoriam tam cito deponeret, traxit in ſocietatem. Vix crediďiſſes, alterius ſuaſu huc Woerdanum adductum: tanto mox ſtudio Amſtelium aggreſſus eſt, injuriarum antea, nunc poſterioris fortunæ ſocium. Vbi & ille aſſenſit, odio Comitis plures mox acceſſere, Ioannes Hueſdanus, Ioannes Reneſſius, Teilingius, aliique; quis ſe Brabantini inſtinctu adgregavit Hermannus toparcha Cuicenſis. Dum firmandis partibus conjurati vacant, domeſticus Florentium luctus involvit, ob fatum conjugis Beatricis: qua Rhenoburgi ſepulta, ipſe mox Trajectum proficiſcitur, componendis ſimultatibus inter Amſteliũ, Woerdanum, & Zulenſem: quas ſimulatas fuiſſe conſtitit, quo melius voti compotes fierent; cum Comes, quod volebat, efficere nequiverit. Sub hæc Trajectum veniens Cuicenſis toparcha, particeps conjurationis, cæteris dicit, Bergas ad Zomam irent, facilius Brabanti opera in concordiam reducendos affirmans. Eo cũ frequentes conjurati conveniſſent, de exſequendo facinore conſultatum eſt. Et forte per idem tempus appulſis in Flandriã Britannicis legatis, quos inter Dunelmenſis Epiſcopus erat, Cameracũ à Guidone vocati, mandata ibidem accepere, ut capto & in Angliam perducto Florentio, filium ejus Ioannem Hollandis imponerent. Tum jurejurando religione ad ſilentium adacti, diſceſſere. Conſtat plurimos conjurationis conſcios fuiſſe, & quidẽ ex ipſis Patribus, qui facinus improbarent: palam tamen nemo fecit. Ambiguũ, metu Eduardi, cujus haud dubie arma exſpectabantur, ſi deſtinata minus proveniſſent; an, quod lubentius crediderim, odio Florentii, & ob potentiam atque opes conjuratorum. Solus Ioannes Reneſſius famulorum nonnullis rem aperuit, non ut Florentium monerent, ſed inſita loquacitate. Quod poſtquam conjuratis innotuit, præmii ſpe inducto ſervorum uno, ne conatus erumperent, ſtatuunt rem maturare. Et quo facilius meditata ſuccederent, ſpargunt

gunt, ortas Trajecti nobilium ſimultates nondum conquieviſſe, & metuendum publicum incendium, ni propere occurreretur. Florentius vere ea ferri ratus, Vogeleſanghā, haud procul Harlemo abſitam, ubi epulis ac venatui vacabat, ſtatim deſerit, ac Trajectum tendens ex urbe literas à Cuicenſi accipit, talis argumenti. *Non vacat jam cauſſas exponere: cæterum bellum à me tibi indici ſcito: & vide, utrum in rem tuam eſſe putes, urbem hanc ingredi. Certum quippe mihi, quomodocumque potuero te lædere. Hodie Senatui adhibebor, in quo ſi ſententiam contra te dixero, nolim grave id exiſtimes. Ab hoſte non verba modo, ſed & infeſtam dextram metue. Cætera, qui tibi literas exhibet, referenda Sacerdoti relinquo.* Vix tenuit riſum Comes, & ad Sac erdotem converſus: *Ergo*, ait, *tantum Cuicenſis viribus ſuis fidit, ut me Hollandia pellere, aut etiā Trajecti ingreſſu prohibere poſſe exiſtimet? An eſt aliqua ſingularis fiduciæ cauſſa, quæ me lateat? Tu gnarus omnium ediſſere, ſiquid à domino tibi mandatum eſt.* Sacerdos ſeu conſcius conjurationis, ſeu, quod crediderim, trepidus, quia culpæ expers deferretur, enarratis, quæcumque ipſe norat, abiit. Florentius vero intellecta hominis innocentia, comites quoq; addidit, quo iter ſine metu & periculo perſequeretur. Ipſe interim, volvens intra ſe Cuicenſis verba, & certus ſua in ditione nihil illum auſurū, quando ſemper amicorum agmine ſeptus incedebat, Trajectū venit, comitantibus qui ipſum endituri erant. Vrbem ingreſſo, Wolphardus Borſalius, in exiliū antea actus, & nunc quoq; conjurationis particeps occurrit, quē humiliter petita patratorum venia, Florentius, qua clementia erat, ſtatim in cohortem amicorum recepit: moxq; curis ad componenda diſſidia verſis, facile in gratiam reduxit odia ſimulantes, ut ejus conciliatu ad concordiam rediiſſe viderentur, ac incautum, & amicitiæ ſuæ fidentē, promtius fallerent. Templum introituro venerandæ ætatis fœmina ſchedulam porrigit, qua haud obſcure conjuratio hujuſmodi verbis detegebatur: *Regia proles, inclyte Princeps, obſerva quæ Pſalmiſta dicit: Homo pacis meæ, in quo ſperavi, qui*

Digitized by Google

edebat panes meos, magnificavit ſupra me ſupplantationem. Inſtinctus Numinis, ut quidam volunt, an compertæ inſidiæ mulierem huc depulerint, non diſputo. Comes ſolita animi magnitudine ſprevit indicium levis, ut rebatur, auctoris. Poſtquam templo digreſſus eſt, rurſum omnes prandio adhibet, ſedentibus ad latus Amſtelio Woerdanoque. Multa hilaritate epulis indulſerunt, jocis & ludicris Comitē oblectantes, ut qui inſidias ignoraret, ex moribus haud interpretaretur. Soluto convivio in cœnaculum ſecedens Comes ſomno opprimitur, inſtantis mali ſecurus. At conjurati, ſtimulante improbi facinoris cupidine, protinus ex urbe ſe proripiunt. Servi, arma, cuncta neceſſaria comitabantur. Vt in campo compoſitæ inſidiæ, cunctaque, quæ tempus monebat, proviſa fuere, Amſtelius ad Comitem miſſus, conclave ingreditur, altoque captum ſomno excitans, intempeſtivam quietem ait, tam ſereno cœlo, & volucrium multitudine paſſim ad aucupium ſe offerente. Nihil perinde Florentium ac talia oblectabant: itaque, excuſſo ſopore, cubiculariū ab Amſtelio vocari jubet. Nec ille cunctatus, poſtquam mandatum pertulerat, ſignificare eum Comiti jubet, ſe parandis neceſſariis præiviſſe. Cæterum mox Florentii juſſu revocatur. Qui, forſan tentando ejus animo, (quippe potuit reputatio verborum, quæ oblata à muliere ſchedula continebantur, ſuſpicionem aliquam injicere) *Giſelberte*, inquit, *nequivi flagrantiſſimum amorem, quo ſemper te proſecutus ſum, intra me coercere, quo minus aperto indicio tibi ſe patefaceret.* Simul exhauſtum ſcyphum, ſuis ipſe manibus offerens: *Bibe hic*, ait, *Florentii animum, quem totum occupaſti.* Equidem mirari cogor, non facilitatem Comitis, non manſuetum illum animum, non denique reverentiam fortunæ, adigere Amſtelium potuiſſe ad enunciandam conjurationem: maxime cum haud malæ eum indolis fuiſſe, prodiderit antiquitas. Cæterum ubi obſtinata læſi hominis mens ad exſequendū, quod ſemel concepit: non minis, aut tormentis à pro-

Digitized by Google

propoſito dimoveas, nedum verbis, quæ quanquam ex intimo corde profecta, malitia humani generis, ſimulatione compoſita creduntur. Amſtelius igitur ad ſuos reverſus, haud dubie in via jam Comitem eſſe renunciat. Tum cæteris ſe occultantibus, ſolus Woerdanus operiri adventum ejus jubetur, ne conglobati ſuſpicionem à muliere injectam firmarent. Florentium incedentem cognatus Ioannes, Hannonii Ioannis filius, & Gerardus toparcha Vornanus, admodum juvenis uterque, præterea famulorum exiguus numerus comitabatur. Vt extra urbem Woerdanum in conſpectu habuit, incenſo calcaribus equo, ubi ſocii, & quis locus aucupio deſtinatus interrogat. Et ille vix adfuturos dixerat, cum undique coorti Comitem circumſiſtunt, & apprehenſa equi ſella captivum ſe dare jubent. Mite Florentio, niſi dominandi cupidine agitaretur, ingenium erat, adeo ut ne tum quidem dolum, ſed oblectandi cauſſa repente eos involaſſe crederet. Sed Arnoldus Benſcopius, *Ita me Deus amet*, inquit, *falleris ſi ludum hunc exiſtimas. Huc tua te ſcelera in nos patriamque patrata perduxerunt*: Et cum verbis accipitrem, quem de more Florentius geſtabat, de manu ejus raptum, ſuæ dextræ imponit, addito, *poſthac ei non futurum uſui*. Senſit Comes in proditorum ſe manus delapſum, gladiumque arripit, honeſtam mortem ludibriis conjuratorum præferens. Sed Velſenius, haudquaquam animum ejus ignorans, intentato mucrone, ni deſiſteret, ſupremam hanc illi horam fore minatur. Simul alii accurrentes quamvis reluctantem detinent. Quare tempori ceſſit, molliora adhuc ſperans. Interea mirabatur, omnibus adeo exoletam ſui reverentiam, ut ex tanto numero nullus laudem Principis ſervati affectaret. Vnus modo ſervorum, ex urbe ſecutorum, ad extremum uſque fidus, dum extorquere Comitem è manibus conjuratorum adnititur, graviter vulneratus, & animam agens in terram cecidit. Nam juvenis Avennionis filius, & toparcha Vornanus, viſo

Digitized by Google

Comitis periculo, protinus fuga elapſi erant. Quibus tantum otii conjuratos dediſſe omnes mirantur, quando, illis comprehenſis, ad dies nonnullos occultari ſcelus poterat, quaſi aucupiis Comes diutius vacaret. Cæterum nimia ex capto Comite lætitia abſtuliſſe conjuratos, & reliquorum feciſſe immemores videtur. Iuvenes itaque continenti curſu Trajectum delati, rem omnem, ut geſta erat, expoſuere, turbata omni civitate, lætis nonnullis, aliis mœſtis, pro affectu aut odio in Comitem. Sed è plebe plerique indignam tanto faſtigio calamitatem miſerabantur. Ioannes Arkelius Trajecti tunc agitans, & addictus Florentio, Hannonium ac Vornanum aſſumſit, cæteros certiores facturus, quo Comes in diſcrimine verſaretur. Poſtquam res circumquaque diffuſa eſt, tota Hollandia varii animorum motus, Patres trepidare, plebs furere, è nobilitate velut ad proſperam famam plerique lætari. Dum ita cuncta turbantur, venit Dordrechtum Wolphardus Borſalius, ſocius conjurationis, & civitatem inter ſpem metumque dubiam, novo terrore concutit. Quippe Flandrorum copias Walachris imminere, & ſubſidio opus eſſe nunciabat. Moverat hoc bellum Guido, ut conatus in Comitem facilius ſuccederent, & Hollandis hoſtium metu diſtractis, vacuum haud eſſet perſequi conjuratos. Eodemque fine miſſus Wolphardus, conſcientiæ Flandri innexus, qui potiſſimas urbis vires, ſub ſpecie ducendi in hoſtem, alio transferret, Traditæque ei à magiſtratu ſunt lectæ cohortes; quis acceptis, abiit. At Philippus Waſſenarius actum de Comite ratus, ſignum Florentii, quo tabulas firmare ſolebat, Patrum in conſeſſu rupit. Quippe jam in vitæ periculo Comitem verſari ferebatur, quia conjurati metu plebis in Mudanam ſe arcem receperant, prima opportunitate Florentium in Britanniam abducturi. Cujus fortunæ interea certatim pro ſe quiſque illudebant. Præ cæteris Hermannus Woerdanus, ſeptem annis toleratam Amſtelio captivitatem,
ſuum

Digitized by Google

ſuum exilium, peremtum Velſenii cognatum, aliaque objectare, minax verbis, & velut exitium ob ea illaturus, quamvis non minus præmii ſpe ad facinus impulſus eſſet. Comes, etiam inter adverſa dignum vetere faſtigio animum retinens: *Sepulta*, inquit, *Woerdane revocas, & quæ jampridem ignoſcendo obliterata eſſe debuerunt. Tamen quia inſolentia tua adigor ad teſtandam æquitatem meam, nec vinculorum, nec cuſtodiæ metu omittam defenſionem. Numinis voluntate mihi poteſtas data erat, puniendis ſontibus, & fovendis innoxiis. Qua ita ſemper uſus ſum, tanquam rationem humani generis arbitro redditurus. Velſenii cognatus potuitne mitius ſupplicium ſperare, qui reum, quamvis promiſſa incolumitate, in oculis judicis trucidaverat? Hoccine erat jure contendere, ac ſemet arbitris ſubmittere? Condonari forſan potuiſſet, quod propria in cauſſa judicis ſibi partes arrogaverat: judicemne eodem mucrone ab eo petititum, & ſauciatum quiſquam excuſaverit? Crede, Woerdane, onerat ſuam conſcientiam, & ſontis crimen in ſe transfert, quicumque veniam concedit delictis veniam ſupergreſſis. Te bonis mulctatum indignari nequis. Rebellis in Antiſtitem, cujus agris incubabas, rebellis adverſum me fuiſti, cui commendatam publice Trajectinorum curam haud ignorabas. Igitur vi vim ultus ſum: & jure belli cuncta egi. Quicquid in te, in alios ſtatui, idem & in me hoſtibus licet, non ſubditis; quibus, quamvis mali, Principes tolerandi ſunt: quanto minus de vindicta cogitandum, ubi quæ paſſi ſunt, eorum merito evenere! Amſtelii captivitatem non excuſo, cum culpa communis tibi atque illi fuerit. Et ne vincula indigna illo genere objicias, in cuſtodia habitus eſt, ut tam nobili ortum loco decebat. Adeo ut mirari libeat, nunc quoque ſævitiam meam accuſari, cum facilitas ſola, proditorum me inſidiis patefecerit. Illam potius objectares. Quærendum erat, cur ab exilio tam gravia meritos revocaverim, honores, bona reddiderim, in gratiam & intimam familiaritatem receperim. Scilicet neſciebam, Hollandorum pectora ſubdolis artibus infecta: neſciebam, Chriſtianos adeo legum ſuarum oblitos, ut vindictæ cupidinem tanto poſt tempore retinerent. Nunc video neminem gratia corrigi, nec ſperandam ſecuritatem apud eos, quos beneficiorum magnitudine adeo devinxeris,*

Digitized by Google

xeris, ut exſolvere illa nequeant. Irritarunt hæc verba Woerdanum, maxime quia vera de ſe dici ipſe intelligebat: & Comitem ſilere juſſum, ferreis onerari catenis imperat. Florentius ira ſimul & metu percitus, diem illum inter varias cogitationes exegit. Cæterum ſecuta nocte Iliaco morbo corpus, animus ingenti dolore affligebatur. Sub lucem miſſus à conjuratis Petrus pœnitentiarius, ſimplicem ei cibum, panem & butyrum attulit. Poſtridie revertenti Comes peccata ſua aperire, & exorare Numen parabat, cum intervenientes conjurati pietatem ejus turbavere, & quamquam multis precibus rogaret, permitti ſibi confeſſionem, abigitur pœnitentiarius. Altius ea res in animum Comitis deſcendit, & haud dubie perniciem impendere cogitans, Woerdanum interrogat, reſtaretne ulla ſpes ſalutis. Ille vero adverſus omnem miſericordiam obfirmato animo, quaſi leve foret commemoraſſe, qui ſceleris participes, & conſcii eſſent, literaſque eorum manu ſignatas oſtendiſſe, etiam ſuæ ſævitiæ notas adjecit. Etenim cum corporis doloribus excruciatum Florentium adverteret, vocato famulo os pectuſque hordeo fricari juſſit, donec attritu aculei in cute hærerent. Neque hic finis deteſtabilis crudelitatis, etiam ludibria addidit. Nam admoto trunco, *nullum*, inquit, *præſentius remedium occurrit adverſum dolores, quam ut hoc pro cervicali, & pavimento lecti vice utaris.* Ejuſmodi inter ludibria biduum Comiti tranſiit. Sed interea jam Hollandicam plebem ad arma Principis calamitas conciverat. Primi Kenemarii Friſiis & Waterlandis adjunctis, ſinum Auſtralem ſcaphis oppleverunt: alii terreſtri itinere caſtellum petiere, ut ſpem fugæ conjuratis præriperent. Advertit imminens neceſſitas animos proditorum, & nulla ſpe reliqua, niſi alicujus auctoritas multitudinem coerceret, Comitem intento mortis metu adigunt literas ad Kenemarios ſcribere, quis laudata eorum fide, domum omnes reverti, & ſalutis ſuæ ſecuros eſſe juberet. Acce-

ptis

Digitized by Google

ptis literis, acrius furentes Kenemarii, negant, *ſe accipere imperia, quæ à conjuratis extorta ſcirent. Neminem eo dementiæ prolabi, ut ſalutem nolit.* Poſtquam nullum aliud effugium patebat, conjurati Comitem Hollandia educere ſtatuunt, & equo impoſitum, pedibus infra ilia adligatis, inſertaque ori chirotheca, ne ſuorum inclamare opem poſſet, verſus Velaviam ducunt. Nonnulli & digitorum principes articulos amputatos ferunt, quo minus, freni potens, de fuga cogitaret; quod quamvis refellere vix ſinat crudelitas conjuratorum, tamen, tacente Stokio, non affirmaverim. Sed, licet eluſis Kenemariis, fuga Naerdenſes haudquaquam latuit: qui, duce Nicolao Grebbero, armati oppido egreſſi, qua tranſituros proditores providebant, dumeta pone ſtratis corporibus ſemet abdidere. Iamque haud procul aberant, cum à præmiſſis exploratoribus ſeptum armatis iter nunciatur. Velſenius, incenſo calcaribus equo, cæteros prævectus, interrogabat Naerdenſes, cujus juſſu arma cepiſſent, & prædonum inſtar publica itinera obſiderent. Reſpondent illi, Comitem ſe petere, nec deſtituros priuſquam incolumis redderetur. Simul & ipſi arripiunt iter, & Velſenius circumacto equo, in Comitem ſtricto gladio ruit: inſtigante eum acrius Woerdano, & cognati necem ingerente. Florentius actum de ſe videns, ni declinaret, foſſam tranſilire conatus, invalido ac pedum vinculis impedito equo, medias in aquas delabitur. Irritus tamen eo motu Velſenii ictus fuiſſet, ni infortunio directus in caput enſis, manum utramque Comiti amputaſſet. Qui, exemta jam ori chirotheca, Deum obteſtatus, quam nefarie petitus foret ab his, quibus omnia credenda putaviſſet, præcipue Hermanni truculentiam incuſabat. Plura dicturum, & cum aquis luctantem, Velſenius quatuor vulneribus conſauciat: cujus exemplum ſecuti conjuratorum alii, donec duobus & viginti vulneribus confoſſus, & extra ſpem vitæ relinqueretur. Interea appropinquantibus Naerdenſibus fugam

Digitized by Google

omnes capeſſunt. Velſenius, ſervi equo conſcenſo, quia ſuum fatigaverat, ipſe quidem curſu citato ſe proripuit: cæterum ſervus à Nardenſibus captus, & in conſpectu Comitis transfoſſus eſt; quem adhuc ſpirantem, & ut aliqui tradunt, quamvis deficiente ſpiritu, verba nonnulla proloquentem foſſa eduxerant, ut ſaltem vel hoc ſolatio morientem adficerent. Occupatis circa Florentium Nardenſibus, facile conjurati elapſi ſunt. Velſenius (quem pleriq; ſcriptorũ prope interceptũ, & vulnere gravẽ ægre evaſiſſe prodiderunt) Croneburgum, quod proprium illi caſtellum erat, fugam intendit. Eum conjuratorum plurimi ſecuti. Amſtelius & Woerdanus, nullum Hollandia minus tutum locum rati, exteras in oras abiere, amicorum poſthac ſubſidio vitam ſuſtentaturi. Cadaver Florentii à Nardenſibus Alcmariam deportatum, & poſtquam balſamo conditum erat, in majori templo depoſitum eſt. Vnum & quadraginta imperii, vitæ duos ultra annos, poſtremum diem VI Kal. Iulii habuit. Corpus procerum oris majeſtas commendabat. Idem facundus & bello ſtrenuus: quippe prœliis pares victorias numeravit. Iuſti ad rigorem uſque cuſtos: in alloquiis tamen facilis, & comis erat. Animi magnitudine pericula quamvis maxima ſupergreſſus, etiam ubi metuendi cauſſæ erant, quod poſtrema vitæ comprobavere. Atque id formidabilem eum vicinis omnibus fecit. Nam & incepta ſemper eodem ardore proſecutus, & injurias, licet à potentiſſimis principibus illatas, vindicare haud veritus eſt. Majorem in liberum populũ dominii cupidinem, & acerbitatem in perſequendis nobilibus, qui ejus machinamentis jure obſtabant, haud immerito argueris: qua ſi abſtinuiſſet, nunquam ſuorum ſcelere cecidiſſet. Quippe, nimium acer caſtigando, jam inde à principio nobilitatis animos avertit. Hinc omnium malorum cauſſa. Nam nec Anglus Rex, nec Principum alii, illa favente quicquam potuiſſent. Tradunt antiquiores,

Digitized by Google

res, digreſſum Trajecto Florentium, & mox Mudam abductum, duos canes venaticos comitatos fuiſſe, & poſtquam in aquis ille conjuratorum manibus ceciderat, utrumque in foſſæ margine à Nardenſibus inventum. Cum navi imponeretur, primos inſiliiſſe: denique & in templo ei perpetuo adſidentes, non ante avelli potuiſſe, quam humo conditus foret. Quin & cibum non admiſiſſe, ex quo Florentius perierat, velut obfirmatos ad moriendum, donec miniſtri diducto ore, lactis nonnihil quotidie ingererent.

FINIS LIBRI QVARTI.

Digitized by Google

MATTHÆI VOSSII

ANNALIVM HOLLANDIÆ ZELANDIÆQVE

LIBER QVINTVS.

NVnc, quæ interea à Patribus geſta ſint, reddemus: nam ea locis ſuis narraturo, interrumpenda fuiſſent conjuratorum acta, quæ utique ad exſtinctum Florentium uſque perpetua ſerie perſequi placuit. Comitis periculo, & Flandrorum armis nunciatis, dolorem, iram, ſpem metumque inter dubii Patres agitabant, haud ſatis videntes, quid pro re foret. Et quamquam Florentium proditorum manibus ereptum quidam vellent; deerat tamen ad conandum animus, ſuſpecta nobilitate, ſuſpectis primorum aliis, aut palam facinus probantibus. Et dum nulli tuto fidi videtur, nihil quoque utile conſulebatur. Tertio die, poſt captum Comitem, cum populi graves turbas, & Reipublicæ exitium metuerent, literas ſcripſere ad Romanorum Regem Adolphum Naſſovium, Sivardum Antiſtitem Colonienſem, & Ioannem Avennionem Hannoniæ Comitem, omnes indubitatæ in Florentium fidei. Præ cæteris tamen Avennio rogatus, ut è veſtigio Comiti ſuccurreret: quippe ſpem eſſe eripiendi eum ex manibus conjuratorum, cæterum omnia in celeritate ſita. Vt vero alteris Patrum literis Comitem confoſſum eſſe poſtridie Hannonius accepit, nihil cunctandum

ratus

Digitized by Google

ratus, quia ipſe propriorum cura attinebatur, Guidonem fratrem in Hollandiam mittit. Vbi plebes captis armis ad opprimendos proditores, paſſim vagabatur. Verum valeſcente rumore, Croneburgum eos confugiſſe, nullo duce arcem protinus circumvallant. Et ne obſidii tædio impetus remitteret, juramento ſe adſtringunt, conatus non deſerere, priuſquam conjuratos in poteſtatem redegiſſent. Nec multo poſt duces ſe obtulerunt toparcha Zulanus, & Gerardus Iſelſteinius: ſed, adveniunte Clivii Comitis fratre, imperio cedunt. Inter hæc veniens Dordrechtum Guido, & incredibili multitudinis favore exceptus, ſine mora in caſtra ad Croneburgũ cõtendit. Vbi ineffabili ardore cuncta pericula multitudo ſubibat, telis, dolabra, ſcalis obſeſſos urgere, denique nihil relinquere intentatum, quo Comitis cædes conjuratorum exitio expiaretur. Neque illis animus deerat. Quippe in extremum ſe caſum delapſos, & ſalutis ſpem non niſi in manibus poſitam reputantes, impigre cuncta obibant, ut ſaltem honeſta morte, quando aliud ſperare haud dabatur, occumberent. Cuicenſis toparcha, conjurationis pars, ut premi undique ſocios fama attulit, Comitem Cliviæ ſollicitare aggreditur, ut miſerorum ſaluti conſuleret. Nequaquam id difficile ei ob amicitiam cum Florentio exercitam. Præbuit aurem Clivius, aſſumtaque militum cohorte, velut ſocius, & eadem cupiens, oppugnantibus ſemet jungit. Exin paullatim ſe ſummis rebus inſerere, cunctaque in ſe trahere, ut arce expugnata ejus fidei conjurati permitterentur. Poſtquam molimina ejus patefacta, etiam ad multitudinis notitiam pervenere, tum vero cuncta tumultuoſis vocibus complentur: patronus proditorum, Reipublicæ hoſtis appellatus: ægre iras & arma plebis effugiſſet, ni ducum prudentia impetus pauliſper repreſſus fuiſſet. At frater ejus non de ſua minus, quam illius ſalute, ſollicitus. *Quid moliris*, inquit, *frater, quæve hæc vecordia, teque & me ſimul exitio objicere? Sceleratorum cauſſam ſuſcepiſti,*

Digitized by Google

piſti, quos nullus, niſi eorundem criminum ſocius, ſalvos velit. Te ne tam ſublime faſtigium dehoneſtare defenſione eorum, in quos noviſſima exempla edi omnium æque principum intereſt? Cogita Florentii caſum, & iiſdem te ſceleribus peti poſſe. Tranſcendet hæc licentia in alias gentes; & ſero fortaſſis diſces, negligentiæ pœnas ſuo capite dare eum, qui ſcelera in alios patrata ignoſcendo tramittit. Si parentem tuum nobilitatis perfidia rapuiſſet, ullumne in ea ſupplicii genus nimium videretur? Crede mihi, ut ut ſæpe ſine ratione tumultuoſum vulgus, juſtas nunc irarum cauſſas habet. Principis ſui, communis parentis interfectores ad ſupplicium poſcit. Necem ejus vindicatam vult: quam quisquis excuſat, tranſit ipſe in partem criminis. Proin aut deſere defenſionem conjuratorum, quos ex humano genere exſcindi expedit, aut cede militum furori, quo propinquus jam exitio fuiſti. Nihil ad ea Clivius, immotus primis conatibus, inſtitit: adeo ut expugnata arce conjuratos omnes ſua in caſtra reciperet, quorum numerus Hollandorum opinionem excedebat. Etenim præter Gerardum Velſenium, Arnoldus Benſcopius, Coſtinus Boterniſſius, Alewinus, Wilhelmus Teilingius, Wilhelmus Zaendius, aliique plures capti. Hollandi, poſtquã Clivium, certum deſtinationis, conjuratos abducturum cognovere, renovatis iterum iris, caſtra tota ſævis clamoribus incendunt, & ducibus obſtrepentes exitium Clivio minitantur. Acerrimus Kenemariorum & Friſiorum furor erat; qui cædis ſe exordium à patronis conjuratorum ſumturos jactabant. Perculſus inopino motu Clivius, cum pro imperio reprimere militem niteretur, & quis furor, quæve hæc inſolentia interrogaſſet: conclamant omnes illum turbarum autorem, illius exitio Comiti ſe parentaturos, ni conjuratos dederet. Expreſſit neceſſitas, quod jus nequiverat. Clivius, ut nullam ſpem eripiendi eos videt, Velſenium Zaendiumque capita conjurationis, & duos alios quorum nomina interciderunt, militibus dedit. Reliqui aliis diſtributi. Duos in Iohannis Comitis adventum fratri in Kenemaria ſervandos permiſit. Benſcopium Teilingiumque Harlemen-

Digitized by Google

lemenſes accepere. Velſenium Zaendiumque miles manibus diſcerpſit. Tantus furor erat, ut nonnulli ferarum inſtar dentibus cadavera lacerarent. Habeo autores non obſcuros, qui Velſenium à Leidenſibus, dolio, defixis intus clavis acutiſſimis, immiſſum, ac per totam urbem volutatum tradiderunt. Sed fabulæ perperam intellecta Ioannis Becani verba originem præbuere; qui exquiſitiore uſus vocabulo, rotatum inter magna tormenta ſcripſerat. Hugonem Beerlandium Dordrechtani rotæ impoſuerunt, contuſis omnibus membris donec extingueretur. Idem ſupplicium ea in urbe ſubiere quatuor alii, quos ex fuga Gerardus Vornanus retraxerat: à quo interceptus etiam Gerardus Crajenhorſtius ſimilem exitum habuit. Capti quoque ab aliis conjuratorum alii, & noviſſimis ſuppliciis affecti, bona in fiſcum redacta: qui fugerant, æternum Hollandia proſcripti ſunt. Dedit poſterius ævum ſcriptores, qui in amicos conjuratorum & propinquos ad nonum uſque gradum ſævitum fuiſſe prodiderint, ut invidioſa nomina Hollandorum auribus exularent. Sed falſi eos arguit ſilentium antiquiorum, maxime cum poſtea quoque Amſteliam & Velſeniam domum, quæ principes conjurationis ediderat, floruiſſe ex tabulis conſtet. Dum conjuratorum ſuppliciis cæteri ſatiantur, Cliviæ Comes ſecurus, publici curam aggreditur, multum reclamante Guidone Hannonio, & indignantibus, qui peſſime ei cupiebant, Hollandis. Etenim quicquid ante in eo eximium, poſtremo ſcelere maculatum, rebantur. Hac de cauſſa Guido; impetratis à Brabantiæ Duce tuti tranſitus codicillis, cum Ioanne cognato Gertrudisbergam tendit, inde Hannoniam petiturus, ni eodem tempore literas à fratre accepiſſet, quis illo remanere iis tractibus juſſo, ipſum ſe ordinandis Hollandorum rebus propediem adfuturum ſignificabat, nequid agente in Anglia Comite Clivius tentaret. Moxque promiſſa impleturus, commiſſa Patribus Hannoniæ cura, iter ingreditur. Clivius

Digitized by Google

interea, Hagæ occupata Comitum aula, dies noctesque epulis ac potando tranſigebat, prodigentior, quia Hollandorum ſumtibus cuncta fiebant. Vnde ingentem opum vim brevi pervertit. Reipublicæ curam, ut Comes, ſibi arrogaverat magis, quam gerebat. Ea agitanti affertur, Ioannem Hannoniæ Comitem Gertrudisbergam appulſum, iter Hagam meditari. Hollandi ad rumorem, deſerto Clivio, Gertrudisbergam profecti, adventum Hannonio læti gratulantur: & terna militum millia arreptis armis Delphos eum perduxere. Hic ſeptem diebus conſultando cum Patribus exactis, Reipublicæ admovetur, donec ex Britannia Ioannes adeſſet. Clivius ut ſuam auctoritatem exoletam, & cunctos tranſire ad Hannonium vidit: inglorius domum remeat, gaudentibus Hollandis, excedere ditione ſua patronum conjuratorum. Hic Hollandorum ſtatus erat, quando Ioanni Ziricio, Tullenſi Eccleſiæ à Pontifice præpoſito, in Trajectina ſede ſucceſſit Wilhelmus Mechlinienſis. Is indignatus, Ziricium nec conjuratis, Croneburgi obſeſſis, opem tuliſſe, nec Hollandiam, cum turbis concuteretur, occupaſſe, ſero ipſe militem ſcribit: & Mudanum caſtellum adgreſſus, cui Theodericus Harlemenſis præſidebat, in deditionem accipit, proditione cuſtodum, præfecti imperia aſpernantium. Eo patrato, majora meditanti Ioannes Avennio obſtitit, qui copias in Amſteliano agro contractas ſubſidio Mudanis ducebat. Cæterum ut deditionem factam comperit, diſpoſitis per vicina loca præſidiis, Hagam repetit, ubi à Patribus exſpectabatur: nam turbata Reipublicæ tempora aſſiduas conſultationes requirebant. Antiſtes occaſione uſus flexit ad Friſios occidentales. Quos convocatos, & graviter increpitos, quod opportunitatem recuperandæ libertatis negligerent, facile novarum rerum cupidine accendit. Vt quamvis fide in perſequendis proditoribus nemini ceſſiſſent, jam velut pœnitentia facti arma repente caperent. Primum Wideneſſæ obſidium

dium fuit. Id caſtellum Balduinus Nalduicenſis ſuæ curæ commiſſum, quia annonæ penuria urgebatur, haud multo poſt tradidit. Friſii, deſtructa Wideneſſa, Emengeburgum petunt, & mox, in poteſtatem redactum, demoliuntur. Sed nihil perinde iis infeſtum erat, quam præſidium Medenblicanum: quippe opportuno poſitu ad incurſandos eorum agros. Igitur huc verſi oppidum primo impetu captum incendunt. Præſidiarii, duce Waltero Egmundano, in arcem operibus munitam confugere; quam ſæpius oppugnare adgreſſi hoſtes, & adverſa multa experti, tandem fame fatigare obſeſſos ſtatuunt. Nam unum hoc, ſubactis cæteris, tum caſtellum Hollandi in Friſia tenebant; quo devicto, penitus redditi libertati videbantur: exigui autem temporis frumentum ſupereſſe conſtabat. Eo conſilio probato, ne rivis ad oppidum decurrentibus, noctu Hollandi alimenta inferrent, palos crebros adegere, quis navigia excluderentur. Dum hæc geruntur, Ioannes Avennio, in Zelandiam profectus, Flandrorum bello diſtinebatur. Etenim Flander copias adverſum Zelandos miſerat, quo, diſtractis in plura Hollandis, conjurati deſtinata facilius patrarent: quorum unus, Wolphardus Borſalius, ſubſidia à Dordrechtanis contra hoſtes impetrata, mox, icto cum iis fœdere, in patriæ perniciem verterat, junctuſque Flandris Middelburgum obſidio premebat. Quo totam æſtatem fortiſſime tolerato, ad ultimum tamen oppidani, exſtinctis præſidiariorum plurimis, ceſſuri videbantur; niſi Avennionis adventu civibus ſpes propugnandi, hoſtibus metus auctus fuiſſet. Quippe adhuc improſperæ adverſum Florentium expeditionis memores, priuſquam ad manus veniretur, fœda fuga domum dilapſi ſunt. Wolphardus eorum abſceſſu fractus, quanquam exitio dignus, quod conjurationis crimen bis prodita patria oneraſſet, veniam nihilominus impetravit. Fugatis Flandris nunciatur Avennioni captam à Friſiis Wideneſſam, Emingeburgum everſum, incenſam Me-

denblicam, & arcem ejus deditioni propinquam eſſe, niſi propere ſubveniret. Quare feſtinandum ratus, ne proſperorum gratia adverſis alibi extingueretur, convocat ad concionẽ Zelandos,& ab Hollandorum meritis orſus, qui pro illorum ſalute nulla pericula recuſaſſent, hortatur, ut una ſecum opprimendis Friſiis proficiſcantur. Poſtquam prolixe operam, & mox ſecuturos ſe promiſerunt; regreſſus in Hollandiam Avennio copias contrahit. Sed Zelandorum plerique,militiam procul à finibus ſuis averſantes, domi manſere. Pauci omnino, publicæ ſalutis cura, Avennionẽ ſecuti ſunt. Inconſtantia illorum haud motus Hannonius, propoſitum nihilo ſegnius urget, adgregantibus ſe ei Dordrechtanorum pleriſque, & pluribus aliis. Adeo ut,ob magnitudinem diviſis copiis, partem unam ipſe in Friſiam duxerit; alteram,Arkelio & Putteno ducibus,conſcendere naves & Enchuſam petere juſſerit. Hi mox oppido potiti,ignem injecere, & expoſito milite Friſiam populabantur: quam cum ſua quoq; manu Avennio irrupit,obvia omnia vaſtans & evertens. Friſii, ſimulac diſtinctis exercitibus ſuam ditionem rapi urique cognovere, trepidi primo diſpicere quid in rem foret. Tum, more vulgi, ſero anteacta damnantes,inſectari Epiſcopum, qui pacatos, & pace alioqui uſuros, ad arma impuliſſet. Advertit fluctuantes eorum animos Florentius Walterus, Medenblicanæ arci præfectus. Itaque audendum aliquid tali occaſione ratus: *Cernitis*, ait, *milites, conſternatum hoſtem, & ſuarum rerum anxium. Nimirum, quod dudum animo præſagiebam, eveniſſe tandem, & vexari eorum terram ab Hannoniæ Comite videmus. Vos, quorum hactenus virtus omnia exempla ſuperavit, nunc occaſione tantum utimini, & magnum diem tot laboribus imponite.* His dictis, aperit portas,ſuosque in hoſtes effundit. At Friſii,omni in pedibus ſpe repoſita, nec exſpectato erumpentium acceſſu, terga tam feſtinanter dedere, ut non niſi tricenos ex noviſſimo agmine Hollandi proſternere potuerint. Bellicum tamen inſtrumentum, & om-

Digitized by Google

& omnis caſtrorum apparatus, quem auferre temporis anguſtiæ vetabant, noſtrorum in manus pervenere. Recentiorum nonnulli, congreſſos ante fugam Friſios tria ſuorum millia amiſiſſe affirmarunt, ut vulgo ſolitum, in majus cladem hoſtium referentes. Avennio, audita Friſiorum fuga, Medenblicam tendit, auctoque præſidio, frumentum inferre jubet, quantum ſatis longæ obſidioni tolerandæ. Exin circumlatis per Friſiam armis, jugum rurſus imponere rebellibus conabatur. Sed inclementia cœli, cui ſæpe ſalutem ſuam Friſii debuere, cœpta deſerere adegit. Itaque, conclamatis vaſis, Harlemum remeat; fractos cladibus, & aucto Medenblicæ præſidio, nihil Friſios auſuros ratus. At qui naves cum Arkelio Puttenoque conſcenderant, diu adverſis jactati tempeſtatibus, non eundem omnes portum tenuere. Hæc geſta funeſtum Florentii nece annum nobilitarunt. Excipit poſt mille ducentos ſeptimus & nonageſimus; quo Hollandorum Zelandorum- CIↃ CC
que proceres conventu acto de Republica conſultavere: non XCII.
adhibito Avennione: dum illum, cætera ſtrenuum, & publicæ rei intentiſſimum, vulgi captare ſtudia vident: unde excluſo cognato Ioanne, imperium ab eo affectari, multi interpretabantur. Ob hæc Ioannem arceſſere è Britannia placuit; quem quamvis adoleſcentē, nec adhuc principatus capacem, in multitudinis animis memoria patris potiorem fore prævidebant. Mittitur in Britanniam Theodericus Bredenrodius, Florentius & Wilhelmus, hic toparcha, ille Abbas Egmundanus, & Henricus Leidenſis caſtelli præfectus, quis additi è quaque urbe duo in magiſtratu prudentia maxime ſpectabiles. Vbi ad Regem ventum eſt, unus eorum hunc in modum diſſeruit. *Annus pene jam integer abiit, Eduarde Rex, ex quo per infandum ſcelus Florentio orbati, ſine Principe egimus: & Reſpublica fluctuavit, donec vocato Avennione Hannoniæ Comite quieti redderemur. Nunc pacatis rebus, nihil ad ſummam felicitatem deeſt, quam ut imperii hæredem, paterno conſidere ſolio videa-*

Digitized by Google

mus. Adminiſtratur quidem cum cura Reſpublica, etiam abſente illo; ſed ægre obſequimur extero, cum propinquum Principem habeamus. Eoque tuam majeſtatem oratum venimus, ut Comitem Ioannem, quem ipſe generum non es dedignatus, nobiſcum diſcedere, & regimen capeſſere patiaris. Eo beneficio æternum tibi, æternum Angliæ regno, Hollandos ac Zelandos obſtringes. Aſſenſit protinus æquiſſimo poſtulato Eduardus, & ſponſalibus inter filiam generumque peractis, quod hactenus dilatum fuerat, maximo apparatu celebrari jubet. Tum avocato à cæteris Bredenrodio, generi filiæque curam illi commendat, ut ſicubi juveniles anni laberentur, conſilio ſuo regeret, donec ætas provectior judicium firmaviſſet. Nec ulla præterea mora, navem pulcherrime ornatā deducere generum imperat. Ventus primo favebat; mox in contrarium mutatus, adegit Comitem ad inſulas Zelandorum appellere. Quem poſtquam incolumem adveniſſe fama percrebuit, certatim obviam omnes eunt, gratulantur adventum, ne nobilibus quidem prima in Principem officia omittentibus. Cęteros inter Wolphardus Borſalius, totus ad adulationem compoſitus, Comitis animum fictis blanditiis occupavit. Quippe ſpecioſa & auribus accommodata diſſerenti, facile credulus adoleſcens fidem habuit. Mox, indicto Romerſwalam Patrum conventu, cū frequentes conveniſſent, Bredenrodium certis de cauſis, & ſub ſpecie honoris, Zirixeam ablegat, ſuaſu Wolphardi, qui auctoritatem ejus reverebatur, præcipue quia noviſſimis Anglorum Regis verbis tutorem deſignatum intellexerat. Illo abacto, inter reliquos facile potentia opibuſque princeps Borſalius, cuncta pro lubidine agit: & non multo poſt Comite in caſtellum ſuum abducto, ut adverſaturos excluderet, ſimulatione ſubdola eum impulit, ut tutelam ſibi committeret. Ægre id acceptum fuiſſe Patribus, atque ipſi Brederodio, quoniam illorum foret Principi tutorem ponere, etiam in ſilentio Annalium haud vereor aſſerere, quia vero adeo ſimile eſt. Affertur interea Harlemū ad Ioan-

Digitized by Google

Ioannem Avennionem, adveniſſe Comitem, & ſimul invaſam à Wolphardo tutelam. Itaque Hagam primo, & exinde Dordrechtum profectus, mittit ad Comitem legatos; qui eum ad accipiendum imperium, & rationem geſtorum à ſe advocarent. Advertêre ea ſuſpicacem animum Wolphardi, veritusque ne ſi Dordrechtum Comes iret, auctoritate Avennionis ipſe tutela cedere cogeretur, impulit Comitem, ut per Alardum prætorem Dordrechtanum reſponderet: *Se, ſi Avennionem convenire voluiſſet, ad eum fuiſſe venturum: nunc cum colloquium ille petierit, æquum etiam eſſe, ut ipſe accedat. Itaque poteſtatem ei fieri centum virorum, nec majori comitatu Bridorpiam veniundi. Spondere ſe, iter ſine periculo fore.* Avennio iratus: *Hoſtibus*, inquit, *tutum iter promittitur, non amicis. Ego colloquium non meo, ſed Comitis commodo quæſivi. Qui ſi profutura ſibi negligit, in ſeipſum injurius eſt. Quanquam doleam, primordiis imperii proditorum conſiliis eum obſequi, & aſſentatori aurem præbere. Sed illum excuſat adoleſcentia: cum his mihi perpetua inimicitia erit, qui lubricis annis ad prava eum ſeduxêre.* Dordrechtani, qui & Comiti reverentes, & Avennioni addictiſſimi erant, ut aſperatum ejus animum comperere, omnibus modis in concordiam reducendos rati, hortantur, ut Bridorpiam eat: ſeque univerſos comitaturos afferunt, ne quod periculum extimeſceret. Sed Avennio, gratiis actis, negavit, *quicquam ſe adverſum mandatum Comitis in ditione ejus tentaturum, licet Wolphardi inſtinctu cuncta ab eo acta ſciret. Dolere tamen pro periculis ſuſceptis, pro geſtis præclare rebus, non aliam mercedem rependi. Sua vigilantia Zelandiam Flandris, loca plurima Friſiis erepta. Suo adventu, Cliviæ Comite, proditorum patrono, Hollandos liberatos. Manere tamen in urbe, & ſalutem ſuam credere iis velle, donec Comitis voluntatem intellexiſſet. Etenim illo perſeverante, cur Wolphardi ludibriis Hannoniæ Comes exponeretur?* Cæterum non multo poſt à Wolphardo inſidiis petitus, communicatis cum Arkelio conſiliis, habitum mutat, & Hollandia excedit. Quod poſtquam rumores diſtulere, Wolphardus ſolita viarum ſpeculato-

Digitized by Google

ribus, maria claſſibus obſideri juſſit, ut è fuga interceptum cuſtodiæ intruderet. Sed jam Dei nutu evaſerat Avennio; cujus diſceſſus varios animorum motus concivit: optimus quiſque indignari, tanti nominis virum, maximis rebus geſtis, deſerto ob commoda Hollandorum ſuo imperio, nunc ut ſceleratum adigi fuga ſe inimicorum manibus eripere. Contra alii, & maxime conjurationis adverſus Florentium participes, gaudere, dum regente Wolphardo faciliorem veniam, & inquiſitiones in noxios ceſſaturas ſperant. Hoſtes, & maxime Friſii, animos rurſum tollere,& rebellionem cœptare,tanquam in illo corpore cecidiſſet omnis ſpes Hollandorum. Quos adverſum Ioannes, Zelandia remeans, ubi, poſt Avennionis fugam, Dordrechti, aliiſque in civitatibus Comes ſalutatus foret, Wolphardo comite copias Alcmariæ contrahit. Adfuiſſe quoque auxilia Anglorum, Friſii prodidere, ſilentibus cæteris: unde falſo confictum arbitror: præcipue cum navem unam tantum Ioanni ex Anglia abeunti, à ſocero Rege additam conſtet. Niſi paucos illos prima expeditione Comitem proſecutos fateamur. Friſii, impendentis belli metu,ſuos quoq; in arma cogunt: ſed non omnibus idem ardor. Veronenſium maximi paratus fuere. Outdorpiani dubii victoris gratiam ſpectabant,quod poſtea ſaluti illis fuit. Comes motis caſtris, ad Neoburgum, quod caſtellum coercendis Friſiis Florentius Comes exſtruxerat, hoſtem adeptus, prœlium commiſit. Pugnatum acerrime eſt. Hinc pro vindicta, inde pro libertate. Triplicem Comes aciem inſtituerat, ut frontem ipſe, pars latera, reliqui terga hoſtium invaderent. Eaque victoriæ cauſſa. Etenim Friſii ut undique hoſtem ingruere viderunt, deſperata victoria, fugam capeſſunt. Quæ quia vix ullam in partem patebat, tria millia eodem in loco cæſa, nec pauciores aquis hauſti ſunt. Captivorum cenſum more ſuo Hollandi non iniverunt: qui ſuorum paucos omnino amiſere, niſi quod nobilitate celebris,

virtute

Digitized by Google

virtute major, Ioannes Arkelius occubuit. Hac victoria ſexto Kal. April. parta, Veronam Comes petit, nulloque negotio occupat: quippe habitantium plerique proxima pugna ceciderant. Pagus ipſe militibus præda datus; qui cunctis direptis, trucidatis hominibus, ignem domibus injecere. Ita Veronenſium rebellio, & ipſis, & loco exitium peperit. Quorum calamitatem ad Ioannis ſecundi tempora, perperam Emmius refert, repugnante Stokio. Digreſſus inde Comes Friſiam vaſtando emenſus eſt, ſervatis Outdorpianis, quia armis abſtinuerant. Et ne cadaverum fœtore aer inficeretur, cuncta humo condi juſſit. Rebus ex voto geſtis, Alcmariam reverſus, parentis cadaver, quod abſente filio humari nefas erat, Rhenoburgum delatum, principali pompa tumulo matris Beatricis intulit. Proxima ordinandæ Reipublicæ cura, in qua præfectorum ac magiſtratuum alii à Florentii fato continuati, alii, ob conjurationis conſcientiam muneribus dimoti, aut ſuppliciis affecti erant. Pleraque, ut in cæteris, ita & hic ad libitum Wolphardi acta: niſi quod unum Reneſſium, eo invito, Meridionali Hollandiæ Comes præpoſuit. Id Wolphardus ad maxima quæque tendens, ægerrime accepit, alterius felicitate ſuam minui magnitudinem ratus. Maluiſſet, viliori tantam dignitatem collatam, quem juſſis ſuis obnoxium haberet. Reneſſium faſtu plenum, conſilio promtum, ſibique infenſum, in cunctis, quæ moliretur, adverſaturum præmetuens, omnibus viis pervertere eum tentabat. Forte congruerat, ut legati à Brabantino venirent, pecuniam à Duce exſolutam, quo tempore vas Florentii Comitis factus erat, repetentes. Poſt varia convenit, ut Bergas ad Zomam Brabantinus, Romerſwalam Comes veniret; quo inter propinquos celerius internuncii commearent. Opportunum id Wolphardo viſum ad exitium Reneſſio moliendum, qui una cum Comite profectus erat. Igitur mittendum dictitans, qui locum medium diſceptando nego-

negotio exquireret, Reneſſium legationis honore ornari ſuadet. Comes facile accepit conſilium. Abit itaque Reneſſius, proſequentibus eum, ut mos habet, multis propinquorum, quia legatos comitantibus majori libertate pleraque in alieno ſolo viſere permittitur. Poſtquam profectus erat, propere Comitem conveniens Wolphardus: *Tuum*, inquit, *periculum, Comes, revelare cogit, quod, niſi te ſpectaſſet, neſcire maluiſſem. Nimium propinquus hoſti agis, quem tamen neſcis inimicum: ego ſcio, dum tibi inſidias ſtruit. Spem ei ſubjecere, quos exiſtimas amicorum eſſe fidiſſimos. Ille, nuper ad tantos honores à te evectus, Ioannes Reneſſius, ſub titulo legati occultat proditionem, & de te capiendo cum Brabantino conſultat. Non dicerem id, niſi & ab amicorum fidiſſimis cognoviſſem, & jamdudum ipſe averſi animi indicia in eo notaſſem. Quid opus vetera & multis cognita repetere? noviſſima hæc legatio, quæ & qualis eſt? Comitati ſceleſtum ſceleſtiores amici, & ad omne nefas parati. Etenim ſi tua tantum mandata perferre voluiſſet, quid in tam brevi legatione hæc hominum turba? quorſum tanta multitudo? Scilicet dum pluribus inniti vult, ſuum ipſe facinus prodit. Tuum eſt, Comes, attendere propriæ ſaluti, & tantum nefas ulciſci. Remittere poſſes, ſi te privatum læſiſſet: nunc quia tuum damnum cum Reipublicæ detrimento conjunctum eſt, pœna exigitur. In Principe publica ſalus, ac proinde omnes læduntur. Meus certe à te ſpiritus pendet, quo ſublato vivere nec poſſem, nec vellem. Nam & Reneſſii ſævitiam mihi paratam, & te extincto etiam graviorem morte vitam fore certus ſum.* Comes, qui Wolphardo, vera ſeu falſa promeret, jam fidem habere didicerat, facile calumniis aurem præbuit, & perſuaſu neceſſitatis Lodicam conceſſit. Wolphardus vero, quo magis ſollicitum animum de ſalute Comitis oſtentaret, conſulit ei, ut Hollandum Brouwershavium, & Balduinum, cum nonnullis cohortibus evocet, ad eludendos Reneſſii conatus. Paullo poſt, quaſi ne Lodicæ quidem ſatis tutus agitaret, Veriam eum pertraxit, cujus loci ipſe toparcha erat, ut ſi quid adverſarii molirentur, vi reſiſtere poſſet. Redit ſub hæc Reneſſius, ignarus omnium

Digitized by Google

omnium quæ acta erant. Vt vero à Comite ad diluenda crimina ſe ſiſtere juſſus eſt, conſternatus, & Wolphardi dolos conjectans, dubiuſque pareretne mandato, an detrectaret, mittit tandẽ ad Comitem, qui tutum acceſſum peteret, protinus ſe venturum refellendis calumniis. Addidit cauſſam, non Comitis ſe, ſed Wolphardi iram timere; à quo ſibi perniciem parari, certis jam documentis intellexiſſet. Cæterum Wolphardi opera irrita poſtulata fuere: & Reneſſius mœſtus ſimul iratuſque Moermontium concedit; quod proprium illi in Schouwana inſula caſtellũ, milite ac frumento inſtructiſſimũ. Quandoquidem autem vim metuebat, ſtatim novis operibus locum firmare aggreditur. Interea Comes omnes amicos ejus & propinquos citat: quorum qui acceſſere, in cuſtodiam dati; qui conſpectum ejus fugerent, exilio & bonis omnibus mulctantur. Etenim jam eo ira Comitem abripuerat, ut funditus everſam Reneſſii domũ vellet. Moermontium tamen oppugnare, quia multæ operæ erat, aliquamdiu diſtulit, donec tandem Wolphardi hortamentis exſtimulatus milite caſtellum cinxit. Reneſſius, ſuſtentato ad tempus oppugnantium impetu, poſtremo dedere coactus, in exilium conjicitur, bonis in fiſcum redactis. Caſtellum à Wolphardo everſum: qui ſublato æmulo major indies, & validior in animo Comitis erat, ita ut nihil utile, nihil decorum putaret, niſi quod Wolphardus approbaſſet. Firmata apud Zelandos auctoritate, transfert improbas ſpes in Hollandiam. Vbi inviſus plebi juxta ac proceribus erat. Eo impenſius annitendum ratus, ſtatuit devincire ſibi potiſſimum quemque. Vornanæ inſulæ, qua parte proxime Zelandiam Hollandi attingunt, toparcham tunc habebant Gerardũ, juvenem modeſtum, patriæ amantem, & prorſus diſſimilem Wolphardo: cujus late juriſdictio, & auctoritas apud Hollandos juxta ac Zelandos valebat: quippe horum hęreditarii erant Vicecomites Vornani. Hunc omnino obſtringendum ſibi exiſtimans Wolphardus, filiam ſuam in matrimoniũ ei dat, & quo plu-

Digitized by Google

ribus vinculis illigaret, matrem illius, viduam magnæ auctoritatis, penatibus ſuis inducit: ratus duplicis offenſæ metu ſemper addictum ſibi Vornanum fore. Sed illi amor publici ante privatas neceſſitudines fuit; quemadmodum in contextu operis oſtendemus. His fundamentis Borſalii apud Hollandos auctoritas crevit. Eodem tempore audita Galliarum regis legatio; qui pacta ſecum à Florentio, parente Comitis, inita renovari poſtulans; ſi obtineret, operam pollicebatur in perſequendis, quorum ſcelere Florentius cecidiſſet. Super hoc dum Patres conſultant, etiam Guidonis legati Veriam venere. Etenim Guido Gallorum bello preſſus, ubi audivit eoſdem fœdus cum Hollandis tentare, veritus ne utrimque oppugnaretur, omnino prævertendum huic rei exiſtimabat. Legati, poſtquam longa oratione utilitatem fœderis cum Guidone, nec poſſe Anglorum amicitiam durare ſi Galli admitterentur, coram Comite demonſtraviſſent; privatim quoque Wolphardum aggrediuntur, & ingentibus promiſſis onerant, ut pacem cum Gallo diſſuaderet. Diſputatum dehinc inter Patres: & plerique Gallorum maximas opes, Guidonem nuper conjurationis in Florentium auctorem, eoque repudiandum diſſerebant. Sed Wolphardus Flandro addictior, quippe eorundem ſcelerum ſocio, acerrime obſiſtebat. Forſan & metus illi, ne fœdere Gallorum, Hannoniæ Comiti reditus in Holllandiam pateſieret: quod haud dubie faſtigio ſuo detrimentoſum fore prævidebat. Prævaluit ad ultimum Borſalius, indignantibus Patribus, ſuam autoritatem & conſilia ſperni. Nec tamen ulciſci expediebat, metu plebis, quam certum erat inſurrecturam, ſi in Wolphardum, Veriæ, ubi hæc tranſigebantur, toparcham, exemplum ſtatueretur. Guido ubi rejecta Gallorum poſtulata ſuoſque viciſſe intelligit, Robertum filium, cum fratribus, avunculis Comitis, Veriam mittit, qui juramentum darent acciperentque. Sed Comes, ſuſpicione injecta, ne in honorem peccaret,

Digitized by Google

caret, fœdus cum paternæ cœdis auctoribus ineundo, primo Robertum ſincere profiteri jubet, adhæſiſſetne proditoribus, aut eos ad Florentii necem inſtigaſſet: illo diris ſemet devovente, & Deum vindicem expoſcente, ſi unquam in conſcientiam ſceleris veniſſet, Comes in fœdus conſenſit. Non temere affirmaverim, perjuruſne hac in re fuerit Robertus, tametſi Flandrorum plerique levitatis notentur: quippe ſimile vero videtur Guidonem conſilia cum nemine communicaſſe, ne cujus loquacitate erumperent; & Robertum ſuo nomine dixiſſe juramentum, quod paterno præſtitum oportuerat, ne unquam perjurii convinci poſſet. At mala eum fide egiſſe, pro certo ponendum videtur. Facta pace avunculorum poſtulato, Comes Biervlietam contendit; inde Gandavum, ut avum maternum inviſeret. Vbi ingenti honore à Guidone ſuſceptus, & nonnullo tempore habitus, Veriam poſtea cum Wolphardo rediit. Annus poſt mille ducentos octavus & nonageſimus CIↃ CC
Friſios Occidentales tot prœliis fractos vidit, ut diuturni belli XCVIII.
& malorum tædio legatos Veriam mitterent, rebellionis, & ante patratorum veniam ſupplices à Comite petituros. Qui ſuadente Wolphardo, duriſſimas præſcripſit conditiones. Graviſſimum erat, quod pro dirutis caſtellis dimidiam facultatum ſuarum partem tradere juſſi, nemine excuſato, ne illis quidem, qui diurno quæſtu vitam tolerabant. Paruerunt tamen Friſii, quietem & vitam bonis potiorem rati, quæ temporis progreſſu ſarciri poſſent. Ingens hinc æris ſumma provenit, qua non modo caſtella validius inſtaurata, ſed & ærarium auctum eſt. Non ignoro eſſe, qui demum poſt devictos Orientales Friſios deditionem ab Occidentalibus factam exiſtiment; ſed ii temporum illorum Annalibus refelluntur. Wilhelmus Trajectinorum Antiſtes, poſtquam Occidentales Friſios jugum accepiſſe intelligit, iratus ad Orientales proficiſcitur, eoſque ad bellum Hollandis inferendum hujuſmodi verbis accendit. *Pa-*

cem à ſociis veſtris, trans ſinum Auſtralem colentibus, cum Hollando jurato hoſte factã, haud dubie jam fama accepiſtis. Conditiones intolerandæ, atque adeo memoratu graves ſunt. Etenim quis unquam ultro in deditionẽ venientes dimidia bonorum parte ſpoliatos audivit? Si in ditiores ſolum avaritia ſæviiſſet, fortaſſis tanti erat publicam redimere quietem: viduis, egentibuſque eripere, quo famem propulſant, quæ inhumana crudelitas ſuadet? Scilicet miſerorum ſudore & ſanguine paſci illis volupe eſt, qui nec divinum jus nec humanum curant: qui ſacerdotes, innoxie vitam in Numinis cultu tranſigentes, paſsim contemptui ac ludibrio habent, nec tutos inter ſe agitare patiuntur. Libet deplorare miſeriam populi, cui adeo viles ſunt Dei legati. Nempe ad nefaria quæque pronis grave eſt audire pietatem ſuadentes. Hinc illos odio proſequuntur & pellunt, ne ſcelerum ſuorum inſpectores habeant. Hacpropter, viri fortiſsimi, vos moniturus acceſsi, ne idem malum in veſtras quoque terras ſerpere pateremini. Vbi contigua tecta flammam concepere, periculo noſtra proxima ſunt. Et facile inſtabilis hominum mens licentia abducitur, dum Chriſtianam religionem profitentibus pauca vident licere. In luxuriam quippe inſita malitia proni acrius erumpimus, ubi ſunt, qui veniam quamvis gravibus delictis promittere audent. Omnino hæc lues armis exſtirpanda eſt, quando incaſſum laboravere, quos ad docendam religionem Chriſtianam emiſeram. Vos itaque, viri fortiſsimi, qui ſemper hactenus inviolatam majorum religionem retinuiſtis, vos arma capite, priuſquam eadem in ſcelera propinquos, & ſobolem veſtram tranſiiſſe videatis. Sacram hanc ego ſummi Pontificis juſſu militiam indico. Neque enim in Syriam proficiſci nunc pretiũ eſt, ad euertendos Saracenos, quibus pejores hoſce Belgica dedit. Ite tantum alacres, evertite armis ſceleſtam gentem, & ſocios miſeriis eripite. Ipſe vobis comitem me periculorum & ducem offero, certus inviſum cœlo genus propria conſcientia ſatis debellatum iri. Talia poſtquam Epiſcopus ira in Hollandos, quorum hujuſcemodi ſcelera erant nulla, diſſeruiſſet, omnes pene Friſios ad arma concitavit, nihil non auſuros, quando ſummi Pontificis juſſa præferebantur. Horum concurſu animoſior Antiſtes, militem ſtatim navibus impoſuit, & vento ſecundo provectus, claſ-

ſem

Digitized by Google

ſem haud procul Monichedamo tenuit. Vt militem exponere in terram tentavit, prohibuere qui locum illum inhabitabant, confluxu aggreſtium aucto ſuorum numero. Currente per Hollandiam rumore, Orientales Friſios in armis eſſe: Kenemarii ac Waterlandi, multis præliis hoſtes illos experti è veſtigio navibus Auſtralem ſinum ingrediuntur, & abſtractam à cæteris plenam milite navem in oculis ſuorum expugnant. Quod quanquam leve ad ſummam belli, auxit tamen noſtris alacritatem, ut ſine mora claſſem Friſiorum invaderent. Diu certato, quia hoſtes multitudine, noſtri agilitate navium ſuperabant, tandem Friſii fugere cœperunt, captis aut depreſſis navium compluribus, ipſum Epiſcopum Kenemarii circumſteterant, cepiſſentque, ni in ſcapham deſiliens, remigum labore ſalutem inveniſſet. Ita Orientalibus Friſiis primi conatus improſpere ceſſere. Multa hominum millia interempta, plurimi capti. Antiſtes omnia adverſa expertus, & nihil ultra ſperans, flexit ad conſilia pacis. Eo magis, quod arma ab Hollandis in Trajectinos parari, & Ameidæ toparcham ad hoſtes defeciſſe, nunciaretur. Is majoris imperii ſpe, ſuum in caſtellum, præſidiarium militem à Comite miſſum receperat. Pactus, inter cætera, ut finito bello Hollandi rurſum finibus ſuis educerentur, & ipſi obſequium Antiſtiti debitum reſumere liceret. Wolphardus, ſimul Comiti nunciata de Friſiis victoria eſt, dubio procul fractum Antiſtitem inclinare ad pacem ratus, ut omnem ſublati belli gloriam in ſe traheret, mittit ſuo nomine legatum, qui pacem, etiam renitentibus aliis, ſe effecturum polliceretur, ſi Veriam ipſe ad Comitem veniſſet. Non abnuit Antiſtes, & Dordrechtum primo, inde Veriam profectus, accepit, autore Wolphardo, pacem haud diu duraturam. Quippe domum regreſſus, poſtquam reputare cœpit integras Trajectinorum vires, & præpropere à ſe arma depoſita, pacta mox rumpit, & bellum Comiti indicit. Ille non ante ſperandam ab Antiſtite

Digitized by Google

quietem videns, quam vires ejus concidiſſet, bello in hoſticum tranſlato, Trajectum oppugnare decrevit. Cæterum quo minore ſuorum periculo cuncta gereret, petit uſque ad conſummatum cum Trajectinis bellũ, tradi ſibi à Gisberto Amſtelio, Arnoldi filio, Iſelſteinii toparcha, loci illius caſtellum, quod in feudum ab eo tenebat. At ille, qui per idem tempus equitum apud Antiſtitem magiſter erat, incorrupta fama id fieri haud poſſe exiſtimans, negat ſe Iſelſteinium traditurum, in damnum Epiſcopi, cui militaret. Ea audacia averſum à Trajectinis bellum; ſed magno Iſelſteinii, & omnium qui ſub eo erant, periculo. Etenim irritatus reſponſo Comes, arma protinus parat, ad obſequium recuſantes adacturus. Dum cuncta conquiruntur, Hubertus toparcha Culenburgicus, Comiti fœderatus, ipſum Gisbertum intercipit. Qua re finitum poterat jam bellum videri; quod femina duce multo gravius exarſit. Bertrada uxor Iſelſteinii, quam falſo nonnulli Gertrudim nuncupant, marito capto in curas ejus tranſiens, magna prudentia, quæcunque ad obſidionem requirebantur, caſtello intulit, & ardens tota ad vindicandam mariti captivitatem, turmas nonnullas in agrum Culenburgicum immiſit; à quibus caſu obvius Huberti filius, captus & Iſelſteinium abductus eſt. Sub hæc ingentibus copiis Comes caſtellum circumſedit, & machinis, turribus, ſcalis admotis, acerrimam orſus oppugnationem; non muliebriter obſiſtente Bertrada; quæ ſtationes, munia cuique aſſignabat, & qua maxime parte ſuos premi videret corpore, animo ubique aderat: gaudebatque miles fœminæ ductu noſtris inſultare. Multis menſibus cum irriti conatus fuiſſent, Comes & Wolphardus mœſti ad unius ſe caſtelli mœnia fruſtra tempus terere, miſſo ad Bertradam caduceatore denunciant, ultima paſſuram, ni deditione perniciem præveniret. At illa fortiter, *minis armatam non terreri reſpondit. Dextera Comes, non lingua uteretur. Se tamen ſi conjugis literas acciperet de tradendo ipſi caſtello, delibe-*

ratu-

raturam, quid factu opus ſit. Ante ab armis minime diſceſſuram. Addidit inſectatio fœminæ alacritatem Hollandis, ut quamvis improſperam hactenus oppugnationem, tanto acrius repeterent. Et Bertrada, poſtquam indies ſpes ſuas in artum cogi, nec Trajectinos ſeptis circumquaque itineribus, ſuccurrere poſſe videt, miſſo caduceatore, deditionem obtulit, ſi incolumitatem præſidiariis obtineret. Abnuente Comite, ſecundo reverſus nuncius & ſaltem cuſtodum dimidiæ parti ſalutem petens, Wolphardi conſilio impetravit. Sic Bertrada cum ſuis, qui ſexdecim tantum præter ſaucios & ægros erant, caſtellum Comiti dedidit, cum integrum per annum variis artibus noſtros eluſiſſet. CIↃ CC XCIX. Captivi Dordrechtum abducti, ut ſorte jacta ſemet damnarent aut abſolverent. Octoni ſupplicio affecti ſunt. Non indecorum Comitis famæ fuiſſet, veniam concedere virtuti & tam conſtantis in dominum fidei, niſi rebellantes in principem, & rebellium adjutores, omnibus modis puniendos putaviſſet: virtutem in mala cauſa exuere id nomen rebatur. Expugnatione caſtelli, metus ad continendum Antiſtitem ſuffecit. Sed Borſalius, firmandæ apud Hollandos potentiæ, quorum pleroſque averſos experiebatur, tradi ſibi Iſelſteinium à Comite petiit: qui nihil tam magnum putans, quod non ejus in ſe fides mereretur, ſuper caſtellum, etiam Benſcopium, omnemque cum oppido Woerdanum tractum conceſſit, proditorum alterum alterius bonis augens. His impetratis, confeſtim Woerdæ caſtellum exſtruere Wolphardus aggreditur, cohibendis, ut ferebat, excurſionibus Trajectinorum; cæterum ut pluribus adverſum Hollandos munimentis inſiſteret. Eadem tempeſtate mota Dordrechtanorum arma, talibus cauſis. Multi in urbe vinculis attinebantur, ſontes alii, quidam etiam innoxii. Movit hoc Alandum Ballivi titulo Meridionali Hollandiæ præpoſitũ, ut Dordrechtum profectus peteret ab urbis magiſtratibus, fieri ſibi poteſtatem, ſimul quæſtionem in eos habendi, quo pro meritis,

meritis, rei pœnam, innocentes miſſionem acciperent. Magiſtratus, in captivos ſuos nemini alteri inquirendi jus eſſe dictitans, dedit tamen id Alando, ut in judiciũ admiſſus cum cęteris ſuffragium ferret, dummodo ne gratiam jus interpretaretur. Promiſit Alandus, nihil illorum id libertati, aut legibus derogaturum. Dum ſuper captivis deliberatur, Wolphardus cum Ioanne Comite urbem, & mox conventum ingreſſus, jubet protinus ſcribi nomina ſontium, & Comitis arbitrio cunctos permitti. Negant judices, quemquam arrogare ſibi jus in captivos ſuos poſſe, & ipſum Alandum teſtaturum, nequaquam ſe ante admiſſum, quam pollicitus eſſet, non ceſſurum id in præjudicium legum urbis. Alandus vero ut Wolphardi voluntatem quæreret, abnuit de tali contractu quidquam ſe ſcire. Tum judices, *Si Alande*, inquiunt, *fidem tuam fallis, jus noſtrum mortui ſatis tutabuntur. Durant adhuc tabulæ Wilhelmi ſecundi, Romanorum Regis, & avi Comitis Ioannis, quis nobis id juris eſſe teſtatur. Quare injurius Wolpharde es, qui libertatem noſtram pervertere conaris. Sed neque nos adeo animus deſeruit, quin ante urbis perniciem exſpectare, quam libertatem à majoribus acceptam abjicere velimus.* Eminebat jam ira ex vultu Borſalii, & fruſtra eos contendere dictitans, iterum Comitis judicio relinqui pœnas ac prœmia captivorum jubet. *Wilhelmi cæterorumque Comitum tabulas irritas eſſe, ſimulac Comiti id viſum fuiſſet.* Vt vero nihilominus ſperni ſe videt, iratus cum Comite Delphos abit, juſſo Alando, nonnullos è magiſtratu urbis ad tribunal Comitis Delphos vocare. Ille citatis, quos ad defendendam libertatem cæteris conſtantiores noverat, eo cum his contendit. Sed interea Hagam Comes, Iſelſteinium Wolphardus abierat. Miſſis ad Comitem, qui Delphos eum ad diſceptandam Dordrechtanorum cauſam vocarent, negavit quicquam ſe abſente Wolphardo acturum. Poſtquam ad Borſalium delegati venere, brevi ſe acceſſurum, nunc aliis occupatum, eaque perficienda reſpondit. Sed conſulto moras nectens,

aliquam-

Digitized by Google

aliquamdiu rem diſtulit,quia magnificum id & decorum faſtigio ſuo rebatur. Vbi Delphos cum Ioanne ventum,acriter hinc pro Comitis majeſtate,inde pro libertate à Dordrechtanis certatum eſt. Tandem,re infecta,conventus dimittitur: inflammato ira Wolphardo,quod obſtinatos ad libertatem tutandam videret. Meridie Comes,& Borſalius, Alando ad prandium adhibito, ubi conſultaverant, quid maxime foret coercendæ Dordrechtanorum contumaciæ,ſtatuunt legatos in cuſtodiam dare,terrendis exemplo cæteris. Senſerunt inſidias Henricus ac Paulus Dordrechtani, conſcenſiſq; equis fugam ſecreto capeſſunt. Reverſi in curiam Comes & Wolphardus, ubi nõ omnes adeſſe Dordrechtanorum legatos advertunt, quæſivere, quorſum collegæ abiiſſent. Illis ignaros ſe affirmantibus,conſurgens Wolphardus, *palam nunc læſæ majeſtatis reos, & fugam indicio eſſe*, exclamat, *diffidere eos iniquæ cauſæ. Quare tandem flecterent ad ſaniora, niſi iram Comitis experiri vellent.* Dordrechtani, certi nullas ob cauſas libertate ſua cedere, tabulas à Wilhelmo, Florentio, aliiſque Comitum, juramento ſancitas ſæpiſſime ingerebant. *Ipſum Alandum, ut ut perfide jam negantem* (*conſcientiam conſulat*) *ſatis intellecturum, quis conditionibus in conſeſſum admiſſus foret.* Alandus quia vera dicebantur, cum aliter refellere nequiret, mentiri legatos, ſeque ſingulari certamine veritatem defendere paratum,commotior reſpondit. Offenderunt ea verba Delphenſem judicem, iſque intolerandum ratus, meliorẽ cauſam opprimi, hunc in modum locutus fertur: *Prudentis eſt, non ea quæ fiunt tantum, ſed & quæ fieri poſſunt, reputare. Altero enim opprimuntur ſeditiones, & publica mala; altero præcaventur. Sed cum humanæ ſapientiæ negatũ ſit ſæculo poſt eventura prævidere; aliena æſtimare pericula, & inde incrementa prudentiæ petere oportet. Hinc in communi omnium civitatium cauſa, æquum eſt occurrere nos malo, & ſiſtere machinamenta perniciem Reipublicæ allatura. Principe etenim urbium ad nutũ adacta, tranſiret ſcelus ad alias, cũ pertrahendis ad obſequium minoribus metus ſufficeret.*

Digitized by Google

Mox converſus ad Alandum: *Tuam vero*, inquit, *dementiam mirari ſatis nequeo, qui libertatem olim à majoribus tanto partam labore, interque tot pericula incolumem ſemper reſervatam, unius furori exponi poſtulas. Nimirum conſulere Comiti vis, ut ad illum, ſeu Dominum, jus omne imperii transferas. Sed adoleſcentem eſſe, & alterius conſiliis regi, cogitare debes. Nam, quid ſenior probaturus ſit, juxta mecum ignoras. Crede mihi, ubi perfectior ætas virum, & moli capacem fecerit, majorem Reipublicæ curam habiturum. Tum primum occurret ipſi, à ſe, à patre Florentio, ab avo Wilhelmo, eorumque majoribus, priuſquam imperio admoverentur, dictum Patribus juramentum. Occurrent pericula, bella inteſtina, civilia, quibus occaſio ipſe ſceleratorum conſilio fuiſſet. At illum innocens ætas facile defendet: vos auctores ſcelerum poſteritas abominabitur. Erras, ſi Comitem putes, majus in liberos imperium, quàm habere juſte poteſt, hujuſmodi artibus quæſitum concupiſcere. Periculoſæ ſunt Rerumpublicarum mutationes, quibus ſæpe, qui omnia affectant, omnibus exuuntur. Tutius, in qualibet regiminis forma, reperias, vetera inſtituta, tametſi prava, relinquere, quam novis plebem commovere. Ob hæc repeto, male te adoleſcentis Comitis, & Wolphardi potius, quam legum mandatis obſequi; peſſime, poſtquam jure victus es, hoc agere, ut ab incerto pugnæ noſtra pendeat libertas. Cæterum & ego gaudeo, neque barbarum hunc morem ſingulari certamine congrediendi in mitia Hollandorum ingenia tranſmigraſſe, & ea eſſe tempora, quis libere arguere tuam liceat inſolentiam.* Gravis tanta libertas auribus Wolphardi erat. Itaque imperato judici ſilentio, ipſe ad Dordrechtanos converſus, *Quandoquidem & vos*, inquit, *& omnes veſtri, majeſtatem Comitis læſere, edicit ille, ne ædibus inſcio ſe exeatis, & ab hoc tempore hoſtilia urbi veſtræ denunciat.* At vulgus Dordrechtanum, ubi detentos legatos accepit, fremere, ac diras Wolphardo imprecari, patriæ Comitiſque proditorem appellare; qui per fas nefaſque dominatum ſtabilire, & liberam gentem, ut mancipia habere conaretur. Dum paſſim tota urbe trepidatur, ſuperveniunt

veniunt legatorum duo, Henricus & Paulus, quos fugam feciſſe ſupra demonſtravimus. Tum vero læta plebes, obviam ire, gratulari illis ſalutem, quos jam exitio proximos putaverat. Poſtera die, ſub ortum ſolis, cæteri quoque delegati, eluſis cuſtodibus, evaſere. Nec multo poſt ſecuti à Wolphardo legati bellum civitati denunciant. Ingentibus animis id Dordrechtani exceperunt. Conquirunt cuncta ad vim repellendam, & quatuor duces deligunt, qui urbis mœnia, ſicubi vetuſtate collapſa, inſtaurarent, machinas, defenſores, caſtra requiſita diſponerent. Interea & de pace aſſidue ſolliciti, mittebant ad Comitem, mittebant ad reliquas urbes literas, juſtitiam cauſæ demonſtrantes, cum precibus, ut ad ſaniora eum evocare niterentur. Sed eas Wolphardus intercepit preſſitq;. Dum his occupantur Dordrechtani, Comitis & Borſalii juſſu Witto Hamſtedæ toparcha, Florentio Comiti extra connubium genitus, qui odioſo munere abſtinere maluiſſet, Nicolaus Catzius, & Alandus, meridionalis Hollandiæ præfectus, urbem milite circumdant: & ſeptis, nequa commeatus penetraret, fluminibus, Witto caſtrum Puteanum, Catzius Alblaſſeramum, Alandus Slidrechtum inſedit. Alandus præ cæteris eruptiones oppidanorum veritus, quia Wolphardi gratiã perfidia captaverat, Slidrechtum validis operibus munivit, & aggeri, qui perpetuo dorſo ad urbem ducebat, palos infixit tranſverſis aſſeribus cõnexos, ne ſubito obſeſſi irrumperent. Ipſe interea in omnes occaſiones intentus, ſiqua rei bene gerendæ occaſio offerretur, audendũ aliquid putabat. Secreto noctis, cum in urbe alta quies eſſet, militem navibus imponit, jamque magno ſilentio vallo ſucceſſerant, cum vigilũ nõnulli ex fluctuum, quamvis haud ſonoro repercuſſu, adeſſe hoſtem ſenſerunt. Vt vero ignes excitati ſunt, omnis in oculis turba. Conclamantur ſtatim ad arma cives tympanorũ & campani æris pulſu, dictoq; citius univerſa in armis civitas erat. Pars navibus inſiliunt,

 alii

alii obviam Alando tendentes, evulſis ex aggere palis, ad caſtellum properant. Ille omnem in celeritate ſpem ponens, hortabatur ſuos, ut ſemet hoſtibus noviſſima exempla ſævitię edituris eriperent. Tandem caſtellum attigere, & agmine conferto ſe intra vallum recipiunt. Hęrebant tergis Dordrechtani, & prope eodem impetu caſtello irrupiſſent: etenim jã pontem armatis compleverant, & cominus cum hoſte congrediebantur. Sed Henrici eorũ ducis caſus avertit ab hoſte periculũ, qui in aquas dilapſus vitæ diſcrimen adibat: dum illum Dordrechtani eripiunt, ſublatus ab hoſtibus pons aditu caſtelli eos excluſit. Itaque, ſpe dejecti, ovantes in urbem redeunt, plurimis oppugnantium interfectis, ſuorum autem nemine amiſſo. Eam cladem poſtquam miſſi ab Alando nuncii ad Wolphardum detulere, impotens iræ juraſſe fertur, Dordrechtanorum exitio ſe militum manibus parentaturum. Cæterum, invidiam facti metuens, quia Hollandorum plerique Dordrechtanis favebant agere cum Iohanne cœpit de relinquenda Hollandia. Obtentum quærenti, ne fugæ ſimilis profectio videretur, viſum ſpargere, Zelandorum ſe auxilia arceſſiturum premendis Dordrechtanis. Forte colloquio Comitis & Wolphardi Gerardu Vornanus interfuerat, gener Borſalii. Is privatæ neceſſitat egregium publicum antehabens, rem omnem Patribus, & quanta hinc pericula expectanda, aperit. Quippe ſeu apu Zelandos maneret Comes, perpetuo ſine principe Holland acturos, ſeu cum aliis reverteretur, periculoſum id liberta. Ob hæc ſibi videri, prudenti conſilio Wolphardi conatus e-dendos, aut ſi id non ſuccederet, vi capiundum vel quoq-modo interficiendum. Satius enim indicta cauſa illum tr-dari, quam ſemper in timore Hollandos eſſe. Nec metuendu populi iram, cui tam inviſus foret. Patres, approbato mox Vrnani conſilio, itinera, omneſq; egreſſus inſidiis ſepſere. Advtit Borſalius, proditũ ſe à Vornano: ſed nihilominus, certus de pœnis,

tionis, aſſumto genero, ut apud Zelandos cuſtodiæ eũ intruderet, cum Comite noctu iter ingreditur, & eluſis cuſtodibus, Scidamũ uſq; pervenit, abruptis à tergo pontibus ut fruſtra eſſent, qui inſequerentur. Tum conſcenſa nave Zelandiam petit. Sed ſegnes venti vix vela inflabant. Scidamenſes ex nocturno Comitis itinere, & præpropero abitu, malum ſuſpicati, mox turbare incipiunt. Eodemque tempore Comitis conjux Elizabetha Hagæ relicta, ſimul illuxit, aulam triſtibus lamentis complere, & mariti vicem dolens, incuſare fidem Borſalii. Mox convocatis amicorum nonnullis, per amicitiam perque ſalutem Hollandorum obteſtatur, ut Comitem ſcelerati manibus eripiant. Illi rem in vulgus diſperſere. Tum vero haud dubia res viſa, quin omnes Borſalium perſequerentur. Quem ut navem ſcandiſſe à Scidamenſibus accepere, properi in naves ſe dant, & curſum, quo iviſſe eum audiverant, intendunt. Conſederant venti adeo, ut pigri fluctus ægre naves propellerent; quod exitium Wolphardo attulit. Etenim Hollandi remis tanto acrius contendentes, brevi navem, qua vehebatur, in conſpectu habuere. Ille ubi imminere vidit, quos abitus ignaros crediderat, anxius quicquid velorum erat latiſſime expandi, & celerari curſum jubet. Sed tanta erat malacia, ut vix navis moveri poſſet. Adſecuti ſtatim Hollandi, & navem circumſiſtentes, exitium ei minitabantur, niſi deditionem faceret. Quia Comes aderat, & auctoritate ejus ſalutem ſe habiturum rebatur, Wolphardus paruit. Hollandi, capto omnium malorum auctore, felicitatis ſuæ ipſi vix capaces, cum gaudio remeavere. Vt vero ripæ naves adpulſæ ſunt, complentur omnia loca multitudine interrogantium, captus Wolphardus, & ſalvusne Comes eſſet. Neque nautis, utrumque affirmantibus, fidem habuere, antequam viderent: quippe Comitem abductum credebant, ut è medio tolleretur. Sed Wolphardus prope infenſorum manibus diſcerptus fuiſſet, ni quorundam moderatio, & Comitis præſen-

Digitized by Google

tia repreſſiſſet impetum concitati populi. Quem cum ſic quoque aliquid auſurum metuerent viri primarii, ne ante oculos Comitis patrato facinore ipſius majeſtas vileſceret, perſuaſere, ut Hagam procul à turbis abiret. Id haud dubie exitiabile Wolphardo, qui mox Delphenſi magiſtratui ad pœnam ſtatuendam traditur. Manebat tamen judicibus reverentia viri, nuper tanto faſtigio illuſtris. Itaque gladio eum plectere non auſi, in cuſtodia habere decreverunt, donec tempus utiliora docuiſſet. Inquieta multitudo, cognito decreto, Borſalium ſupplicio eripi rata, propere curiam circumſiſtit, & convicia in magiſtratum jaciens, excidium cunctis minatur, ni Wolphardum ſibi traderent. Hanc vulgo licentiam dederant res aliquot ab annis turbatæ. Nec magiſtratus obſiſtere poterant, unde invidiam necis in plebem transferre, & Borſalium, malo prorſus exemplo, manibus eorum permittere ſtatuunt. Qui trabibus, aut ſecundum alios, fune per feneſtram demiſſus, ab inflammata multitudine, fuſtibus, ſaxis, pugnis, afflictus eſt, donec exſpiraret. Hunc exitum ipſis Kal. Auguſti Wolphardus Borſalius habuit. Quo in viro certaſſe uirtutes vitiaque videntur. Etenim conſilio, manu, facundia promtus: truculentus idem, & impatiens æqualis, & pervicax propoſiti erat. His artibus ad imperium graſſatus eſt: & dubitari poteſt, Comitemne ſublaturus fuerit, ſi opes & potentiam pro voto auxiſſet. Poſtquam percrebuit, Borſalium interceptum, Witto Hamſtedus, & Catzius, gnari conſilio & juſſu ejus cœptum Dordrechti obſidium, & haud dubie diverſam nunc Patribus ac Comiti mentem, vaſis conclamatis caſtra deſerunt. Alandus ſcelerum Wolphardi ſocius, nondum audito ejus fine, Crajenhorſtũ receſſit, milite ad tutelam corporis aſſumto. Sine mora inſecuti Dordrechtani caſtellum circumſedere: ridente Alando, & prætore Dordrechtano, qui jam ab initio Wolphardo adhæſerat, ſæpiuſque per contemtum oppugnantes rogitantibus, de-

Digitized by Google

an aliquando deditionẽ ſperarent. Quod alacritatẽ militum auxit. Inter hæc venit in caſtra Catzius, qui Alblaſſerdamum ante inſederat, factaq; poteſtate Alandum alloquendi, de Wolphardi exitu, & impendentis periculi eum certiorem facit. Hæc audita fregerunt animum Alandi, miſſoque caduceatore, ſolam ſalutem à Dordrechtanis petiit. Duces id ſui arbitrii nequaquam eſſe, reſponderunt; cæterum, ſi Dordrechtum ire velit, habituros conditionem, quamcumque irata plebs dediſſet. Grave viro illud nobili viſum: tamen ſpe incolumitatis, annuit, & cum prætore, ac quatuor aliis nobilitate inclitis, in caſtra Dordrechtanorum tranſiit. Qui commendata iis ſalute ſua, poſtquam Dordrechtum venerant, ab occurrente multitudine, in ipſis urbis portis trucidati ſunt. Miſera tunc prorſus Reip. facies erat, cum nihil non plebi, pauciſſima magiſtratibus licerent. Cæterum ſatiata inimicorum cædibus multitudo, facile ad obſequium rediit; ut ſunt Hollandorum ingenia nec in iram præcipitia, & mox placata. Exin conventus Patrum ad reſtituendam Remp. habitus. Quo peracto, Comiti auctores fuere, ut cognatum Avennionem, fœde antea pulſum, ad tutelam revocaret. Nec ille gravatim aſſenſit, facilis ingenio, & poſtremi plerumque conſilii approbator. Igitur mittuntur ab eo & Patribus literæ ad Avennionem cum precibus, ut poſita injuriarum, quas accepiſſet, memoria, regimen ſuſciperet. Simul de Wolphardi & Alandi triſti, ſed condigno eorum ſceleribus exitu, ſignificabant. Avennio ubi literas accepit, gnarus ante acta Borſalio imputanda, Brugas contendit, urbem tunc Galliarum regi ſubditam, ut pleraque Flandrorum tunc erant. Ibi ventum ſecundum opperiens, quippe diu in Oceano jactari ob Flandrorum inſidias inconſultum erat, prima oportunitate piſcatorio navigio Middelburgum advehitur. In Hollandiam venientem Comes cum conjuge occurrens ſummis excepit honoribus. Dordrechtum inde profecto, tutela in quadriennium

à Pa-

Digitized by Google

à Patribus decernitur. Quorum mox conventus: ubi cum multi palam indignarentur, Iſelſteinium, Benſcopium, totumque tractum Woerdanum, Wolphardo haud pridem donata, nunc à liberis ejus velut jure hæreditatis poſſideri: Avennio ad cognatum Comitem hunc fere in modum diſſeruit. *Quandoquidem ſemper præteritarum ſuavis eſt reputatio, ſive proſpera ea, ſive adverſa fuerint, utile, Comes, putavi, pauca de Wolphardo dicere: non ut te vituperem, quem à culpa ætas excuſat, ſed ut illius animo introſpecto, poſsis in poſterum tibi ab aſſentantium veneno cavere. Petierat à te Borſalius Iſelſteinium; tu non hoc modo, ſed plura alia donaviſti. Eminuit hic liberalitas tua, & æternum laudanda benignitas, qua oſtendiſti, quid præmii bene merentibus à te expectandum eſſet. Sed quemadmodum ob virtutem donata munificentiæ, ita indignis præſtita prodigalitatis nomen accipiunt. Qua de cauſa prudentia requiritur, ad dignoſcendum ab amico adulatorem. Tu ætatis immaturior, cum hæc minus attenderes, iis beneficia contuliſti, non qui merebantur, ſed quos mereri putares. Nimirum rudis malarum artium, ex tua ſimplicitate cæteros æſtimabas: excuſandus hac parte magis, quam arguendus. Sed alia profecto te, alia Wolphardum ſpes impulit. Vt amico, ut maxima merito tu honores largitus es; ille, ut ſceleratus, te ſimulato obſequio eluſit, & opes potentiamque quæſivit, quis te perverteret: quod fateri coguntur, quicumque mores & acta ejus altius inſpexere. Me ſane jampridem ea res ſollicitum tenuit. Quippe indigne ferebam, ſucceſsionis jure principatu potitum, à ſubdito inſidiis peti, & ſi a me pependiſſet, certus eram intercedendi nefariis conatibus. Neque id Wolphardum latuit. Hinc enim ſuſcepta illi odia adverſum me, hinc ſtructæ inſidiæ mihi, quem obſtiturum deſtinatis videbat. Colloquia tecum expetivi, ut aperirem, quæ imperium capeſſenti conſtare expediebat. Ille præſcripſit, ut centum hominum, nec majori comitatu Bridorpiam venirem. Scilicet quo invalidum facilius opprimeret. Vrebat hoc animum meum. Quid enim, cogitabam, ergone pro ingratis tot pericula adivi? quin potius perverti Rempublicam, ſumma imis confundi, & ab hoſtibus paſſus ſum opprimi eos, qui nec erepti ullum agnituri erant beneficium? Mox tamen ad me reverſus,*

animad-

animadvertebam, uni Wolphardo, te ſeducenti, culpam omnem tribuendam: & falſo me ingratum populum incuſare, qui, potentioris ſcelere, quamvis vellet habere gratiam, prohiberetur. Itaque nunc poſtquam cecidit nefas, & dignum ſceleribus exitum invenit, facile priorum obliviſcor. Te quoque memoriam eorum deponere, Comes, æquum eſt. Nam magno Hollandorum, majore tuo commodo, Wolphardus extinctus eſt. Quo ſuperſtite, nec Hollandi libertatem, nec tu vitam, aut certe imperium retinere poteras. Quare id modo nunc ſupereſt, ut pravo illius impulſu acta reſcindantur. Eripe Woerdam Iſelſteiniumque hæredibus ejus, qui nullum hæreditati titulum, quam paterna ſcelera, obtendere poſſunt. Et ne quondam donata reſumi nequire putes; omnibus excidit, qui in majeſtatem peccat. Wolphardus ne eo quidem tempore, quo hæc accipiebat, à crimine illo immunis fuit. Tu proin noli ſævitiæ famam metuere; ſi eripias, quæ omnes tua eſſe fatentur. Habebunt hæredes Borſalii, quod tuam jactent benignitatem, ſi paternas opes iis reliqueris, quando majeſtatis crimen & vitam, & famam, & bona cætera, poſſidenti apud reliquas gentes adimit. Haud ægre Avennioni Comes aſſenſit, facilis ad accipienda aliorum conſilia. Reſcinduntur igitur, quæcunque à fato Florentii decreta erant, & Woerda Iſelſteiniumque Borſalii hæredibus eripiuntur. Simul quoque diſruptum majus Comitis ſigillum, quo cuncta ſolebat obſignare. Etenim mos habet, ut ſub tutela agentes, minori tantum ſigillo utantur, cui majoris loco ſuum tutores adjiciunt. Per idem tempus, adverſum eos, qui Wolphardum indicta cauſa trucidaverant, litem propinqui ejus moverunt, dictitantes, ſiquid deliquiſſet, non vulgi, ſed Patrum judicio puniendum fuiſſe. Avennio, tametſi juſta poſtulare videbantur, metu populi in rem inquirere non auſus, ſatius exiſtimavit, utroſque in gratiam reducere. Ergo imperatur publice anteactorum oblivio, & ne cui noxæ foret contra Wolphardum, aut pro eodem ſtetiſſe. Hic apud Hollandos rerum ſtatus erat, quando Zelandiam Comes cum Avennione petiit: unde, compoſita rep. quæ ob cædem Borſalii fluctuabat, mox in Hollandiam reverſus, ad Fri-

Digitized by Google

ſios proficiſcitur. Et quo gentem libertatis cupidiſſimam arctiori vinculo Hollandis adſtringeret, proprias ei leges ac ſtatuta dedit: nam victos æquato cum victoribus jure, facilius imperia externa toleraturos putabat. His rebus peractis, Hannonius, mature ſe rediturum promittens, Gallicum iter ſuſcepit, ægro Comite Harlemi relicto, quem ſanguinis fluxus, & alvi vix tolerandi dolores, dyſenteria nuncupatur, adeo affligebant, ut graveſcente indies valetudine, amicis curam Reipublicæ commendaret. Veſpera S. Martini exſpiravit, maximo omnium dolore. Nam quamvis multa publico noxia egiſſet, Wolphardi culpam hanc interpretabantur. Augebat mœſtitiam, quod ſine prole deceſſiſſet; adeo ut ille ultimus ex Friſiorum ſtirpe Comes imperium habuerit: quod inde ad Hannonios, ſanguine proximos, tranſlatum eſt. Nonnulli veneno ab Avennione præbito; Matthæus Weſtmonaſterienſis, & Annalium Flandricorum auctor, dolo ejus occubuiſſe ſcripſerunt: acriter Hannonii innocentiam defendente Stokio. Sed ille adulationis ſuſpectus eſſe poſſit, quia florentibus Hannoniis ſua compoſuit. Flagrantiſſima ſane dominandi libido ſæpè ſceleribus multis cauſam dedit, ut non immerito Avennio inſidiarum ſuſpectus habeatur: quibus occultandis Gallicum fortaſſis iter ſuſceperat, ut ſi qua veneni indicia erumperent, abſentia criminis ſuſpicione liberaretur. Cæterum res incerta eſt: nec Hollandi libentes audiebant ſtructas ab Avennione inſidias. Poſt fatum Comitis conjux Eliſabetha in Britanniam remeavit, cui dotem ab Hollandis negatam, rerum Anglicarum ſcriptores tradidere.

F I N I S.

Digitized by Google

INDEX ANNALIUM.

ADa, Milcolumbi Scotorum Regis ſoror, Florentii tertii uxor. 74.

Ada, Theoderici ſeptimi & Adelheidis filia, Leſſenſi inconſultis patribus juncta, imperio à patruo Wilhelmo privatur. 96, 97, *& ſeqq.*

Adalardi Abbatis Egmundani adverſum Caſtrichemenſes diſcordia. 60, 61.

Adalbertus Arnulphi Comitis filius, Aloſtanorum Comes. 72.

Adelboldus Trajectinorum Antiſtes auctor cædis Arnulphi, & donatæ Flandris Walachriæ. 29. Nortmannis Trajectina ditione pulſis bellum Hollandis indicit. 30.

Adelheidis Theoderici ſeptimi uxor. 83. Wilhelmum affinem ingenti prœlio ſuperat. 86. 87. & filiæ tutorem à fratre deſignatum, per dolos eludit. 95. At illo è procerum conſilio arma movente, cum genero, filiaque imperio privata fuit. 96. 97. *& ſeqq.*

Adelheidis, Wilhelmi Regis ſoror, Ioanni Avennioni juncta, 121. & tutelæ cognati Florentii admota, quamvis faventibus Zelandis pellitur. 143. Sed recepta per cognatum poteſtate, 149. ab eodem ignominioſe rejicitur. 150, 151.

Adelheidis, Othonis Geldriæ Comitis filia, Wilhelmo primo jungitur. 92.

Adolphus Schauwenbergenſium Comes colonos Hollandorum evocat. 70.

Alandi machinamenta in gratiam Wolphardi adverſum Dordrechtanos. 199, 200, *& ſeqq.* ejuſque condignus facinoribus exitus. 207.

Albertus Vrſus Marchio Colonis Hollandorum agrum ſuum concedit. 74, 75.

Alchacia capta & expugnata. 110.

Alcmaria incenſa. 67. cæſi incolæ. 77. rurſumque incenſa. 79, 86.

Andreas, Trajectinus Antiſtes, Egmundanorum res componit, amoto Aſcelino Abbate, ſurrogando ipſi Walterum monachū Gandavenſis cœnobii. 63. Mox & fratrem Hermannum, cui bellum à Comite indictum erat, Theoderico reconciliavit. 65. Pulſus & ejectus ditione ſua à Florentio Nigro, non ante illam recepit, quam per inſidias ſuſtuliſſet. 68. Tum quoque ab irato Comite Theoderico ſecundo in exilium agitur. 69. Veniam tamen delicti, & Epiſcopatum mox adeptus. 69. Inde Coloniam ad Conradum Cæſarem profectus impetravit, ut reſtitueretur ipſi Oſtergoa & Weſtergoa: indeque domum reverſus exſtinguitur. 69.

Anno Colonienſium Antiſtes, adjunctis ſibi Leodicenſium Epiſcopo, Balduino Comite Flandriæ, Henrico Comite Lovanienſium, Geldriæ tutore Wichardo, & Hermanno Comite Cuicenſi, arma Hollandorum Comiti Florentio infert: ſed inſidiis exceptus multo maximam cladem accepit. 43, 44, 45. Hinc reparatis viribus ſecundo Comitem aggreditur, at pulſus, turpi fuga ſibi conſuluit. 45, 46.

Aquiſgranum à Wilhelmo Hollando expugnatum. 124.

Arnoldus Flandriæ Comes occiſus. 54.

Arnulphus Imperator 10. jus, quod in Hollandos ſe habere putabat, Gerolpho remittit. 11.

Arnulphus Theoderici ſecundi & Hildegardis filius, 18. Treviros ad fratrem Egbertum profectus, tanto pietatis ardore captus fuit, ut videretur ſimilem vitam expetere. 21. Tandem tamen à Theoderico perſuaſus uxorem ducit, 23, 24. & haud multo poſt exſtincto patente Comes ſalutatur, 25. indignantibus Friſiis; qui rebellantes, victi & ſubjugati. *ibid.* At illi rurſum arma parant, & Hollandiam irrumpunt. 25, 26. Adverſum quos profectus Comes, commiſſo prœlio in acie occumbit, decimo & ſeptimo imperii in Hollandos anno. *ibid.*

Aſcelinus, invitis monachis Egmundanis, abbas ipſis obtruditur. 62. cui muneri cum impar foret, ſucceſſorem vivus adhuc accepit Walterum. 63.

Auſridi Trajectinorum Antiſtitis fatum. 29.

Auſtralis ſinus quando inceperit. 79, 80.

B.

BAlduinus, Leodicenſium Epiſcopus, in gratiam Adelboldi bellum Hollandis indicit. 32. Exſtinguitur. 34.

Balduino Flandriæ Comiti Walachria donata. 28.

Balduini Pii in Cæſarem arma. 38. Walachriam occupat, 42. rurſumque amittit. *ibid.* Indicto Hollandis bello, matrimonio finem impoſuit. 47, 48, 49, 50.

Balduinus Montenſis, Balduini Pii filius, Robertum fratrem tutorem liberorum dicit. 51.

Balduinus Trajectinorum Antiſtes. 81. bello Geldros petit. 82. Ortam inter cognatos litem componere conatur. 85. Bello petens Drentanos rebelles, 90. fato finem ejus prævenit. 91.

Balduinus, Flandriæ Comes, ingenti prœlio in Walachria à Theoderico ſeptimo victus. 85, 86, 87.

Batavicæ Reipublicæ ſtatus ſub Romanis, Francis, & Saxonibus breviter deſcriptus. 1, 2, 3. &c.

Batavorum virtus. 1, 2. Fœdus cum Friſiis, 2. cum Francis, *ibid.*

Beatricem, Guidonis Flandriæ Comitis filiam, uxorem ducit Florentius quintus. 148. Exſtinguitur. 170.

Bernulphus, mortuo Adelboldo, rebus Trajectinorum præeſt, & Henricum Cæſarem in Hollandos armat. 37. 38. Epiſcopis Leodicenſium & Metenſium ſe jungit, Dordrechtumque eorum opera occupat, unde mox à Theoderico ejectus. 39, 40.

Bochardi Avennionis cum Margarita Conſtantinopolitana matrimonium, & tragicus ejuſdem exitus. 120, 121, 122. legitimum fuiſſe connubium à Pontifice pronuntiatum. 126, 127.

Digitized by Google

Bodengravæ Comitatus à Theoderico tertio occupatur. 30, 31, 34.
Bovinenſe prœlium. 107, 108.

C.

CAroli Calvi non eſſe tabulas, quæ Theoderico primo conceſſæ fuerunt. 15.
Carolus Craſſus Imp. Friſiam Godefrido Nortmanno donat. 7. eundemque molientem rebellionem mox trucidari curat. 8, 9. Ipſe autem imperio ſe abdicare, atque tutorem recipere Arnulfum cogitur. 10.
Carolus Simplex Francorum Rex, à ſuis imperio ejectus, 15. Theoderico primo Comite imperante jure ſuo, quod ſibi competere in Hollandos putabat, cedit. 16.
Caroli Flandriæ Comitis pietas, & miſerabile fatum. 64.
Caroli, D. Ludovici Gallorum Regis fratris, in Wilhelmum arma. *vide* Wilhelmus Rex.
Caſtrichemenſium & Egmundanorum, impubere adhuc Florentio Craſſo, turbæ. 60. 61.
Claræmontenſium Comitis ludi equeſtres, & tragicus eorum exitus. 118, 119.
Conradus Colonienſium Archiepiſcopus coronam imponit Aquiſgrani Wilhelmo. 125. Pacem inter Trajectinos & Amſtelium quærentem impedit. 128, 129. & mox ipſum Regem cum domo in qua erat comburere conatur. 133.
Conradus Antiſtes in Epiſcopatu Trajectino Wilhelmi ſucceſſor, 56. bellum adverſus Theodericum parat, ſed victus, abjurare omne in Hollandos jus adigitur. 57, 58. Mox nova irarum ipſi adverſum Hollandos cauſſa, donata à Cæſare Trajectinis Oſtergoa & Weſtergoa, quas ditiones Hollandis ademtas Egbertus tenebat. 59.
Cronburgum obſeſſum captumque. 181, 182.

D.

DAmiata potiſſimum Hollandorum & Friſiorum opera expugnata. 111. 112.
Dammum, oppidulum in Flandria, ab Hollandis & Zelandis extructum. 81.
Delfenſium urbs à Godefrido Gibboſo condita. 55.
Dodini Everingi adverſum Flandros victoria. 166, 167.
Dordrechtum non eſſe Doreſtadum. 5. Dordrechtum à Leodicenſium Antiſtite, ob merces ereptas mercatoribus ſuis, occupatum. 39, 40. ſed rurſum à Comite receptum, pulſis Leodicenſibus, eorumque ſociis. *ibid.* Secundo captum, ſpoliatum, & incenſum. 104. Eorum conſtantia in defendenda libertate. 199, 200. & *ſeqq.*
Doreſtadum à Nortmannis everſum. 5. perperam Dordrechtum credi. *ibid.*
Drechtenſes Friſii, *vide* Friſii.
Drenthani diu Trajectinis rebelles, tandem imperium reſumunt. 118.

E.

EBerardus Comes, Godefridum Nortmannum occidit, 9. ſed ipſe à Walgero Gerolphi Comitis filio trucidatur. 14.
Eduardi Anglorum Regis machinamenta, quo Scotorum Regnum Anglis redderet tributarium. 164. Filiam Elizabetham Ioanni Comitis Florentii filio deſpondet, 165. pace cum ipſius parente ſancita. *ibid.* Sed mox, ea rurſum rupta, auctor fuit nobilitati Hollandicæ, ut Florentium aut caperent, aut occiderent. 168. & *ſeqq.*
Egberti Gronenbergii in Rudolphum Covordianum arma. 114, 115.
Egbertus Theoderici ſecundi & Hildegardis filius, Treviros mittitur, 20. & eorundem fit Archiepiſcopus. 21.
Egbertus, Marchio Brandeburgicus, utrum expeditioni Leodienſium in Hollandos interfuerit, dubitatum. 39.
Egbertus Saxo Hollandis Weſtergoam & Oſtergoam adimit. 52.
Egmunda antea Halla nuncupata. 16. Cœnobium ibi à Comite extructum, *ibid.* evertitur à Friſiis, 19. atque rurſum à Theoderico ejus nominis ſecundo inſtauratur. 21, 22. Eorum & Caſtrichemenſium odia, 60. non niſi adulto Florentio Craſſo compoſita videri. 61. Sed mox majorem miſeriam ſenſere, Aſcelino iis Abbate, conſilio aliorum, à Petronella obtruſo. 62. Cæterum eo amoto, ſub Waltero Abbate reſpiravere. 63.
Eliſabetha, Othonis Brunſvicenſium Ducis, filia Wilhelmo Regi juncta, 129. ab Hermanno Rinbergenſi capitur, ac ſpoliata dimittitur. 138.
Eliſabetha, Rodolphi Veromanduorum Comitis filia, Philippo nupta, occaſio belli inter Hollandos Flandroſque. 72.
Enchuſa incenſa. 186.
Equitum S. Iacobi ordo à Florentio Comite inſtituitur. 163.
Euſtathius Bononienſium Comes captus. 54.

F.

FAmes maxima per haſce regiones, & vicinas. 64.
Ferdinandi, Flandrorum Comitis, in Gallorum Regem Philippum arma. 105, 106, 107, 108.
Flandria inundata. 37, 79.
Flandris datur occaſio bellandi cum Hollandis, ob conceſſam ab Henrico Cæſare Walachriam. 28, 29.
Flandri, vacuo ſummo apud ipſos faſtigio fluctuantes, parum abfuit quin Theodericum Hollandum Comitem dicerent. 64.
Flardirtingæ Marchio cur dicatur Comes Hollandiæ Theodericus. 16, 37.
Flardirtinga ab Henrico tertio ejus nominis Imperatore occupata. 39.
Flevus lacus quando ad tantam magnitudinem excreverit. 79, 80.
Florentii, Covordianorum præfecti, in Trajectinos arma. 90.

Flo-

Florentii, fratris Wilhelmi Regis, inſignis adverſum Flandros victoria. 131, 132. Tutor Florentii quinti dum fuit, quid egerit, *vide in Florentio quinto.*

Florentius, Theoderici tertii filius, Friſiis ante impoſitus, 35. occiſo fratre, ubi ipſe rerum potitus, auſtralem Hollandiam, ab hoſtibus occupatam, ſuæ rurſum ditionis fecit. 41. Fugatis hoſtibus uxorem duxit Gertrudim Saxoniæ Ducis filiam. *Ibid.* Bello ob Walachriam cum Flandris exorto, Flandria populata, & Walachria potitus, 43. conjuratione multorum in eum Principum, quamvis bis victor, tandem, hoſtium ſecurus, ſomnum capiens ad Hemertum trucidatur. 43, 44, 45, 46.

Florentius, ejus nominis ſecundus, Theoderici quinti & Othelhildis filius, imperium, parente extincto, obtinuit. 60. Vxorem habuit Petronellam, Theoderici Saxoniæ Ducis filiam. 61. Bellum vero nullum geſſit, ſed ſubditos in pace tenuit, ad ultimum vitæ uſque terminum. 61. 62.

Florentius, ejus vocabuli tertius, patri Theoderico ſexto ſuccedens, 72. ipſis imperii exordiis infelicia Flandris arma intulit. 72, 73. Feliciora Geldris, adacto eo Trajectum, quam civitatem occuparat, eorundem Antiſtiti reſtituere. 73, 74. Friſiis Drechtenſibus ſuperatis, Adam Scotorum Regis Milcolumbi ſororem matrimonio ſibi junxit. 74. Ob Oſtergoam & Weſtergoam armis, Godefrido Epiſcopo illatis, coegit hoſtes pacem petere, ea lege ut æquali jure tractus illos poſſiderent. 75. Reſumtis adverſum Flandros armis, à ſociis deſertus, & egregie pugnans, capitur. 76, 77. Nec ante dimiſſus, quam in turpiſſimas pacis conditiones juraſſet. 77, 78. Sed ille, ſimul libertatem adeptus pacta rupit, Friſiiſque, quia ſe abſente Hollandiam popularant, bellum indicit. 78. Sed clade non exigua accepta, inglorius remeavit. 79. Opera Antiſtitis Colonienſis, pacem inter ipſum & Flandros facientis, Walachriam recepit. 81. Quare Coloniam profectus Comes, ludis ibi equeſtribus, quos ipſe indixerat, celebratis, indeque domum reverſus, Friſios Flevo tenus perdomuit. 82, 83. Exin poſt Hieroſolymitanum iter fratri Balduino adverſum Geldros opem tulit, Geldriamque populatus, 83. de ſumma rerum decernere cogitabat, cum advolans Imperator Fredericus, pacem inter ipſos fecit. 84. Vltima ipſi arma fuere adverſum Saracenos. 84. Cæterum cum victrices copias Antiochiam uſque perduxiſſet, morbo correptus, & vitæ ibi finem & ſepulturam accepit. *Ibid.*

Florentius, Wilhelmi primi & Adelheidis filius, patris in imperio ſucceſſor, Machtildim Brabantiæ Ducis filiam conjugem habuit. 113. Primum ipſi bellum adverſum Trajectinos fuit, quo Geldro opem tulit. 114. Cæterum illo pacato, Antiſtiti auxilio fuit adverſum rebellem Rudolfum Covordianorum præfectum. 114, 115. Exin è Friſia reverſus cum Theoderico Altenaæ toparcha convenit. 116. Othone vero, fratre ipſius, ad Epiſcopatum Trajectinum promoto, plurima in gratiam ipſius egit: plura acturus ni bello, adverſum Stadinganos ſuſcepto, impeditus fuiſſet. 117. Quibus maximo prœlio ſuperatis, Corbiam tendit, ludis equeſtribus ibi interfuturus. 118. Cæterum ab zelŏtypo ſene, Claræmontenſium Comite, tanquam inſidias pudicitiæ uxori ejus ſtrueret, dolo trucidatus periit. 119.

Florentius, ejus vocabuli quintus, Wilhelmi Regis & Eliſabethæ filius, infans adhuc parenti, ſub tutela patrui Florentii, ſuccedit. 141. Qui pace facta cum Margarita Flandriæ Comite, *ibid.* Zelandis leges tulit. 142. Inde Antuerpiam profectus, ludis equeſtribus periit. 142, 143. Orta exin ob tutelam contentione, Otho tandem Geldrus annitentibus Hollandis tenuit. 143. At dum ille propriis occupatur, ingens Kenemariorum furor exarſit. 143, 144, 145, 146, 147. Quo oppreſſo, ducta Beatrice Guidonis Flandriæ Comitis filia, 148. & adempta Othoni Geldro tutela, Friſiis bellum, vindicaturus necem parentis, parum feliciter intulit. 149, 150. Sylvam-ducis inde profectus, poſtquam ibi eques creatus fuit, à Trajectinis publicæ rei imponitur. 150, 151, 152. In quorum mox gratiam, Amſtelium Woerdanumque ſubegit. 152, 153, 154. Arma hinc rurſum ſumta adverſum Friſios, quibus devictis, paternum cadaver repertum, ſepulcro intulit. 155, 156. Accuſatus à Friſiis ob continuas irruptiones apud falſum Fredericum Imperatorem, eo ſpreto, 156, 157. progreſſus, Friſios jugum ſuſcipere compulit. 158. Exin circumcidendo nobilitatis potentiam bellum provocavit, quo ipſe, à Guidone Flandro, opem conjuratis ferente, ſimplicitate Ducis Brabantiæ, interceptus, rurſumque dimiſſus, tentata perfecit. 159, 160, 161, 162. Inſtituto dein ordine equitum S. Iacobi, 163. ipſe in Angliam proficiſcitur, petendo Regno Scotorum. Sed magna vi æris recepta ceſſit juri ſuo. 164. Nec multo poſt fœdus cum Anglorum rege ictum, 165. quia exorto cum Flandris bello nihil opis, contra quam convenerat, Rex tuliſſet, 166, 167. rumpitur. 168. Ægre id latum Eduardo, eoque nobilitatem Hollandorum ſpe & præmiis induxit, ut Florentium captum in Angliam ducerent. 169. Et plurimi eorum, irati Florentio, favere mox Regi. In cujus gratiam, ſimulata amicitia, interceptum jam Comitem, & Muidam abductum, poſtquam educere Hollandia nequiverunt, duobus & viginti vulneribus trucidant. 169, 170. *& ſeqq. ad finem uſque libri.* Sed & illi condignas ſceleri mox penas dedere. 180, 181. *& ſeqq.*

Florentius Niger, Theoderici ſexti ejus vocabuli Comitis frater, forſan quia partem imperii nullam haberet, inſidias fratri ſtruit. 66. Quæ ubi palam factæ, ad Friſios profectus, eos ad bellum Hollandis inferendum, ubi inſtigaſſet, 67. Alcmaria incenſa, & vaſtata Kenemaria, *ibid.* tandem in gratiam reducitur, iram ſuam alioquin denuntiante Lothario Cæſare. 68. Inde verſo ad matrimonium animo, Hermanni Cuicenſium Comitis, & Epiſcopi Andreæ cognatam poſtulat. 68. Quæ ut negata, Trajectum occupat, Epiſcopum pellit. ſed mox inſidiis petitus, Abſtedæ trucidatur. *ibid.*

Folkeri aſtus & arma in Antiſtitem Balduinum, 90, 91.

Folpertus, Algerus, ac Stephanus, peſſimi adverſum Egmundanos conſilii Petronellæ auctores. 62.

Francis ducatus in Friſios collatus, 2. rurſumque ademtus. 4.

Fredericus Imperator pacem inter Florentium tertium & Godefridum Antiſtitem facit. 75. item inter Balduinum Trajectinorum Antiſtitem, & Geldriæ

Comitem. 82, 83, 84. Sed adverſum Saracenos profectus in Syria cum filio exſtinguitur. 84.

Fredericus, ejus nominis ſecundus Romanorum Imperator, excommunicatus à Pontifice, 122. exſtinguitur. 129.

Frederici falſi in Florentium minæ, & interitus, 156, 157.

Friſia inundata. 79, 80.

Friſii Theoderico primo Comiti, æque ac Hollandi, paruere. 14, 15. ſed eo defuncto rebellant. 19. Cæterum à Theoderico ſecundo rurſum ſubacti ſunt. *ibid.* Mox tamen ſe Arnulpho ejus filio oppoſuere, à quo victi & ſubjugati. 25. At illi iterum conjurantes ipſum imperio ſimul, & vita privarunt. 26. Sed Theodericus ejus filius vindictam ſumſit, & filium Florentium iis præfectum dedit. 35. ſed eo occiſo, Godefridus Lotharingus illam invadit, & occupat. 50. Cujus ſucceſſori rurſum ademit Theodericus quintus. 58, 59. Illi Egbertus Saxo partem illam, quæ inter Flevum & Lavicam jacet. *Ibid.* quam paulo poſt Conrado Antiſtiti donat Henricus quartus. *Ibid.* Qui vero cis Flevum habitant, Petronellæ rebelles, à filio ejus Theoderico egregie victi ſunt. 65. Mox tamen opera Florentii transfugæ, Alcmaria incenſa, Hollandiam vaſtavere. 66, 67. ſed ejuſdem opera ad obſequium iterum adacti. 68. Drechtenſes tamen haud multo poſt rebellavere, & victi quidem, non ſubacti. 71, 72. Nam demum, imperante Florentio tertio, jugum reſumſere. 74. Quo à Flandris capto, rurſum Hollandiam vaſtant. 77. Et vindicare hoc conantem, ſolutum jam vinculis Comitem, parte exercitus mulctant. 78, 79. Verum ipſi poſtquam Alcmariam incenderant, à Kenemariis pulſi. 79. Sed rurſum ductu Wilhelmi aciem audentes, ab Adelheide ſuperati ſunt, 86, 87. & jugum inducere adacti. 93. Cæterum ubi ſuſpicionem Regis Wilhelmi provocaſſent, ab eo deficientes, 136, devicti ſunt. 139. Nec tamen finis armorum: nam infortunio Regis aquis incidentis adjuti, ſuperiores, ipſum Regem proſternunt. 139, 140. Vindicat ejus necem filius Florentius, 149, 150. tandemque devictis, 155, 156. mox jugum impoſuit. 158. Eo à conjuratis occiſo, nullis fide ceſſerunt in perſequendis ſceleſtis. 182. At inſtigati à Wilhelmo Mechlinienſi, Trajectinorum Antiſtite, rebellant, & ſtrenue rem gerunt. 184, 185. Sed tandem multis prœliis fracti, pacem petiere. 195.

G.

Galliæ pars inundata. 81.

Gena, uxor Theoderici primi Comitis. 17.

Gerardi Cameracenſium Antiſtitis in Hollandos arma. 32.

Gerardus Geldriæ Comes Florentio opem ferens eum in prœlio deſerit. 76. Ejus de Velavia cum Trajectinis contentio. 82.

Gerardi, ejus nominis tertii, Geldriæ Comitis ob Zelandiam contra Trajectinos bellum, 113, 114. mox ipſis adverſum Covordianos, ſed infeliciter, opem fert. 115.

Gerardi, Iuliacenſium Comitis, in Antiſtitem Colonienſem arma. 143.

Gerardi Puttenæ in Comitem fides. 40.

Gerardi Velſenii, principis conjurationis in Florentium initæ, machinamenta, quo voti compos fieret. 169, 170. *& ſeqq.* Quod ubi ipſi ex animi ſententia evenit, obſeſſus tandem condignas & ipſe ſceleribus ſuis pœnas dedit. 182, 183.

Gerlacus Zutphanienſium Comes interfectus. 57.

Gerolfus Friſiorum Comes à Nortmannis victus & occiſus. 2, 3.

Gerolfus alter, Friſiorum Comes, prioris Gerolfi, ut videtur, nepos, 6. mittitur legatus à Godefrido ad Carolum Craſſum. 8. Liber pronuntiatur ab Arnulpho Cæſare, neque imperio ſubjectus, 11. Exſtinguitur. 14.

Gertrudis Saxoniæ Ducis filia, Florentii primi uxor, 41. tutelæ filii Theoderici admota, 47. rem ſtrenue adverſum Robertum, Flandriæ Comitis filium, gerit. 47, 48. Mox eidem nubit, 49, 50. & debellata Richilde Flandriæ Comes cum marito ſalutata, 52, 53, 54. tandem moritur. 61.

Giſelbertus Amſtelius victus captuſque ab Henrico Vianenſi, Antiſtite Trajectinorum. 128, 129.

Giſelbertus Amſtelius Kenemariis ſe ducem offert. 144.

Giſelberti Amſtelii in Trajectinos, & Hollandorum Comitem arma, 152, 153. captivitas, 154. & in Florentium conjuratio. 169, 170. *& ſeqq.*

Giſla Lotharii Regis filia, Godefrido Nortmanno juncta. 7.

Giſlebertus, Theoderici Comitis ſervus, Godefridum Gibboſum trucidaſſe dicitur. 55.

Godefridi Lotharingiæ Ducis in Hollandos arma, & captivitas. 32, 33, 34.

Godefridi Lotharingiæ Ducis cum Hollandis fœdus, & in Cæſarem arma. 38, 39, 40, 41.

Godefridus Gibboſus inſtinctu Wilhelmi Antiſtitis Hollandiam occupat. 52. In Saxoniam profectus, eos pacem petere adegit. 54, 55. Domum reverſus Antwerpiæ trucidatur. 55.

Godefridus Nortmannorum Dux, Germaniam invadit. 6. Obſidetur à Carolo Craſſo. *ibid.* Giſlam Lotharii Regis filiam uxorem accipit, & dotis loco Friſiam. 7. Rebellionem meditans ab Henrico Lotharingo trucidatur. 8, 9.

Godefridus Lovanienſis opem fert Philippo Flandro, 76.

Godefridi Pariſiorum Antiſtitis auctoritas. 53, 54.

Godefridi Trajectinorum Antiſtitis adverſum Superochios bellum. 73, 74. Cum Comite Florentio tertio controverſia. 75. fatum. 81.

Gorichemum, quando & quo pacto ad Arkelios devenerit, dubitatum. 163.

Gualteri Egmundani pro Wilhelmo primo machinamenta. 97. *& ſeqq.*

Guidonis, fratris Ioannis Avennionis, in Hollandiam adventus. 181.

Guidonis, Margaritæ Flandrorum Comitis filii, improſpera adverſum Hollandos expeditio. 131, 132. Secuta dein & altera: cæterum tum de ſumma rerum minime certatum. 159, 160, 161, 162. Tertia expeditio multo minus ipſi ex voto, 166, 167. unde cum alio ſe vindicare modo non poſſet, conjuratos in Hollandia fovet.

Digitized by Google

fovet. 169. & ſeqq. & Walachriam invadit, quo facilius deſtinata provenirent. 174. Florentio occiſo pacem cum filio ejus Ioanne facit. 194. 195.

Guilhelmus, *vide* Wilhelmus.

H.

HÆcmunda. 16.

Hagæ aula exſtructa à Wilhelmo Rege. 125.

Hagano intimus amicorum Caroli Simplicis. 15, 16.

Halla, olim Egmunda. 16.

Harlemenſes Friſios Drechtenſes vincunt. 71, 72. Schagam vaſtant. 77. Catenas ad Damiatam frangunt, 111. & obſeſſi à Kenemariis virtute Perſinii liberantur. 146, 147.

Hattonis Teiſterbandiæ Comitis obitus. 16.

Hediugis amata Florentii Nigri. 68.

Hemertum nobilitatum cæde Florentii primi. 46.

Hemma Lotharii, non Ludovici uxor. 3, 20.

Henricus Cranius à Wilhelmo pulſus, 889. data occaſione, illum in vincula conjicit. 92.

Henricus Sanctus Flandriam vaſtat. 28.

Henricus Arnulphi Comitis filius. 27.

Henricus Lotharingiæ Dux Nortmannos vincit. 7. Godefridum occidit. 9.

Henricus Auceps Imperator adverſum Hungaros proficiſcitur. 17. ludos equeſtres in Germania inſtituit. *ibid.*

Henricus tertius, Romanorum Imperator, à Bernulpho Epiſcopo inſtigatus, Merwedam invadit & occupat. 37. Rurſumque ut eam receptam cognovit, arma in Hollandos reſumit, nullaque pene re geſta, non ſine magna clade ſuorum in Germaniam redire compulſus eſt. 38, 39. At extincto Theoderico Comite, ei fœderatum Balduinum, Flandriæ Comitem, bello petit, pacemque ſupplicem petere compulit. 41. Sed rupto à Flandro jurejurando, arma rurſum capit, totamque Flandriam, juvante Comite Florentio, populabundus peragravit. 42. At eo extincto, à filio ejus Henrico, ejus nominis quarto, pacem petens Balduinus, accepit, 42. hoſtis verò à proceribus ob veteres offenſas Hollandus pronuntiatur. 42. 43.

Henricus quartus Imperator Friſiam à Flevo Lavicam tenus, Hollandis ademtam, Conrado Antiſtiti donat. 59.

Henricus, ejus vocabuli quintus, Cæſar, bellum Roberto Flandrorum Comiti infert. 61. Mox Lotharium Saxonem petens, arma adverſum ſe Petronellæ ſenſit: quam petens Sculenburgum obſidet. At ſolvere concurrentibus conjuratis obſidium coactus, reductis in Germaniam copiis, finem exin biennio vitæ accepit. 63.

Henricus Lovanienſium Comes, ob parentem Lambertum Tornaci à Florentio Comite trucidatum, arma Hollandis improſpere infert. 43, 44, 45.

Henricus Naſſavius Superochiis opem fert, & Trajectum occupat, in qua rurſum à Comite Florentio obſeſſus. 74.

Henricus Vianenſis, Epiſcopus Trajectinorum, Amſtelium & Woerdanum debellat. 128. 129.

Henricus Arensbergicus [illegible] Othonem in vincula conjicit. 80.

Heribertus Colonienſium Antiſtes, arma Hollandis infert. 33.

Heribertus Trajectinorum Antiſtes, Othonem Benthemienſium Comitem, affinem Comitis prœlio victum capit, 69. & Theodericum, ulciſcendæ injuriæ affini illatæ, arma moventem, ipſe quamvis inermis pacem petere adegit. 69, 70. Peſtilenti morbo contracto extinctus videtur. 71.

Hermannus Colonienſis Antiſtes, utrum expeditioni Leodicenſium interfuerit, dubitatum. 39.

Hermannus Cuicenſium Comes, *vide* Anno. Florentium Comitem obtruncat. 46.

Hermannus, Cuicenſium Comes, bellum quod ipſi Theodericus ſextus denuntiarat, deprecatur. 65. Cæterum ubi per inſidias occidiſſet Florentium Nigrum, Comitis fratrem, 68. Comitatu ſpoliatus in exilium agitur. 69. Secundo tamen veniam, & Comitatum in feudum obtinuit. *ibid.*

Hermannus, Cuicenſium toparcha, conjurationis in Florentium initæ particeps, 170, 171. Theodericum Cliviæ Comitem eo perducit, ut conjuratos vi armata Hollandorum manibus eripere cogitaret. 181, 182.

Hermannus Hornanus Trajectinis Epiſcopus à Comite obtruditur. 71.

Hermanni Woerdani in Florentium Comitem & Trajectinos arma, 152, 153. ſed pulſus, 154. non cœptis deſtitit, priuſquam truculenter Comitem trucidaſſet. 169, 170, 171, & ſeqq.

Hermannus Contractus Flardirtingæ Marchionem cur vocet Comitem Hollandiæ. 36, 37.

S. Hieronis oſſa Nordovico Egmundam tranſlata. 22.

Hildegardis Wichmanni, Gandavenſium Comitis filia, Theoderico ſecundo jungitur. 17, 18. Non eſſe Theoderici primi filiam. *ibid.* 22. extinguitur. 25.

Hollandi olim Friſii vocati. 5. Nortmannos ingenti prœlio ad Nordovicum vincunt. *Ibid.* Godefrido parere coguntur. 7. Sed mox ejus imperio, ejectis Nortmannis, liberati. 9. Sigefridum vincunt & occidunt. 10. Eorum quis primus Comes, & quando is ad eum honorem evectus fuerit. 15. ſub quibus geſta bella, in ſingulorum vocabulis reperietur.

Hollandia inundata. 37, 60, 79, 80.

Hollandia olim non adeo magna. 50. Quis omnium primus ſe Hollandiæ Comitem ſcripſerit, & quare eo nomine tamdiu abſtinuerint. 58.

Hueſda quo pacto ad Hollandos deveneril. 163.

Hugo Lotharii filius rebellis, à Carolo Craſſo viſu orbatur. 9.

Hungarorum in Germaniam irruptio. 17.

I.

IConium à Florentio Comite expugnatum. 84.

Ioannes filiorum Florentii Comitis noviſſimus, 148. extincto parente rerum apud Hollandos potitus. 188. 189, 190. Et quia admodum juvenis foret, tutelam invaſit Wolphardus, 188. quicum adverſum Friſios profectus, domuit ferocem populum. 190, 191. Icto autem cum Flandris fœdere, orientalium Friſiorum

arma

arma ſenſit. 196. Quis profligatis, 197. inſtigatorem eorum Wilhelmum Trajectinorum Antiſtitem bello petit, Iſelſteiniumque vi occupat. 197, 198, 199. Seductus à Wolphardo, Dordrechtanorum libertati imminens, nihil aliud egit, quam ut odio ſeſe plebis exponeret. 199, 200, 201, 202, 203, 204. At Wolphardo trucidato, 206. evocatus Hannonia Avennio tutelæ ipſius à Patribus præficitur. 207. Cæterum is, dum proximus heres eſſet, ipſum veneno ſuſtuliſſe viſus. 209, 210.

Ioannis Arkelii probata virtus in prœlio Woringano. 162. Item pietas erga Florentium. 174.

Ioannis, Anglorum Regis, in Gallos arma, admodum improſpere cedunt. 105, 106, 107, 108, 109, 110.

Ioannes Avennio, Bochardi & Margaritæ Conſtantinopolitanæ filius, ubi ſpurius à matre audivit, ducta Adelheide Florentii filia, ope Wilhelmi affinis matri ſe opponit. 120, 121, 122, 126. *& ſeqq.* poſt captos fratres crudele reſponſum à matre reportat. 133. cætera *vide* in Wilhelmo ſecundo.

Ioannes Avennio, prioris, & Adelheidis filius, ſollicitatus à Patribus, ut turbatæ Florentii nece Hollandiæ ſuccurrat, præmittit fratrem Guidonem. 180, 181. Mox ipſe ſecutus, Reipublicæ præponitur, donec Ioannes Comes ex Anglia rediret. 183, 184. Primum ipſius operum fuit, ut ſiſteret arma Wilhelmi Mechlinienſis, Trajectinorum Antiſtitis, 184. & Flandros, cum conjuratis Middelburgum obſidentes, Walachria pelleret. 185. Dein verſis in Friſios rebelles armis, poſtquam omnem eorum agrum populatus foret, 185, 186, 187. domum reverſus, ubi Comes Ioannes appuliſſet, fuga ſibi conſulere metu Wolphardi adigitur, 189, 190. Sed revocatus, & tutor cognati deſignatus, imperii cupiditate, veneno cognatum ſuſtuliſſe creditur. 207. *& ſeqq.*

Ioannes Brabantiæ Dux, ob Ducatum Limburgenſem arma adverſum Geldros ſumit, 156. plurimaque loca occupat. 157. Ejus ſollicitudo ob periculum in quod Comitem Florentium deduxerat, 160, 161. & victoria Woringana. 162. Favet Gerardo Velſenio, cæteriſque conjuratis. 169. *& ſeqq.*

Ioannis Perſinii virtute oppreſſus Kenemariorum tumultus. 147.

Ioannes Reneſſius Sluſam incendit, Flandriamque depopulatur. 166. Meridionali Hollandiæ invito Wolphardo præpoſitus, 191. falſo crimine circumventus in exilium agitur. 192, 193.

Iſelmundanum caſtellum à Wilhelmo Antiſtite extructum, 55. à Theoderico quinto evertitur. 57, 58.

Iſelſteinium obſeſſum, captumque. 198, 199.

K.

KEihamum ſeu Kleihamum Blandinienſibus donatum. 22.

Kenemarii, dum ſua uri à Friſiis vident, Comitem deſerentes rebellant. 67. At non multo poſt, ſimili eos modo invadente Theoderico Comite, ſubdere ſe rurſum Domino ſuo adiguntur. 68. Strenuam autem operam Florentio navarunt, poſt cladem à Friſiis acceptam, ſiſtendo eorum impetu. 79. Sed imprimis comprobata ipſorum virtus pro Wilhelmo ejus nominis primo. 98, 99, 100. *& ſeqq.* Quam gloriam nonnihil macularunt graviſſima perſecutione in nobilitatem inſtituta; quæ tandem ipſis improſpere ceſſit. 143, 144. *& ſeqq.* Sed delictum hoc reſarcivere acerrime perſequendis conjuratis, qui fœde Florentium Comitem trucidarant. 176, 177, 178. *& ſeqq.*

L.

LAmbertus Lovanienſium Comes occiſus. 42.

Leida expugnata. 99. 101. obſeſſa. 102.

Leonoram, Lancaſtriæ Ducis filiam, uxorem ducit Wilhelmus primus. 113.

Lira amnis quis. 24. 25.

Lotharius, Petronellæ, nuptæ Florentio Comiti, frater, 61. arma adverſum ſe Cæſaris, ſubſidia ſororis Petronellæ ſenſit. 63. Ob quem favorem, ubi Cæſareum faſtigium adeptus fuit, Hollandis Oſtergoam & Weſtergoam reſtituit: 64. & rebellantem Theoderico fratri Florentium in gratiam reduxit. 68.

Lotharii Regis amores in cauſſa repetitarum toties à Nortmannis irruptionum. 4, 5.

Ludovici Gallorum Regis, Philippi filii, improſpera in Britannos arma. 109.

D. Ludovicus Gallorum Rex, quamvis ipſe Margaritæ opem ferre nollet, tamen fratrem Carolum id agere permittit. 133, 134. ubi eum ſuccubuiſſe cognovit, paci ſtudet. 137.

Ludovicus ? Germanorum Rex, falſo creditur Waſdam Hollandis conceſſiſſe. 3.

Ludovicus, Loſſenſium Comes, invitis Patribus Adæ Comiti jungitur. 95. Cæterum mox ipſe, poſt varia caſuum, à Wilhelmo pulſus, imperio ſimul & conjuge privatus fuit. 96, 97, 98. *& ſeqq.*

Lutgardis, Arnulphi Comitis uxor, cujus filia fuerit. 24.

M.

MAchtildim non eſſe eandem ac Bertam, Philippi Regis uxorem. 41.

Margarita, Florentii filia, datur conjux Theoderico Cliviæ Comiti. 82.

Margarita Conſtantinopolitana, juncta Bochardo Avennioni, ubi Archidiaconum cognovit fuiſſe, reſpuit maritum. Guidoni Dampetræ eo extincto nupta, poſtquam & ex illo filios ſuſcepiſſet, rejectis Bochardi liberis, maximi belli & diſſidii cauſſa. 120, 121, 122. Cætera vide in Wilhelmo ejus nominis ſecundo. Extinguitur. 152.

Margaritæ, Hennebergenſium Comitis, Wilhelmi ſororis, prodigioſus partus refellitur. 151.

Medenblica obſeſſa, & fortiter defenſa. 185, 186.

Merweda quam late olim patuerit. 28. Eam ſibi vindicare conantur Trajectini. 29, 30. Sed bis prœlio victi ab hoc conatu deſtiterunt. 31, 32, 33, 34. At Bernulpho rebus ſuis impoſito, opera Henrici Cæſaris occupant: mox tamen, eo in Germaniam reverſo, amiſere. 37. At acrius eam repetentes, quando Wilhelmus rerum potiretur, illam ſimul & Hollandiam ſibi ſubjecere. 52. Mox autem, eo defuncto, adventans Theodericus,

dericus, Trajectinos tota expulit Hollandia. 56, 57, 58.
Meteuſium Antiſtitis infelix adverſum Hollandos expeditio. 39, 40, 41.
Middelburgum obſeſſum. 160, 185.
Moſæ inundatio. 80.
Muda expugnata. 184.

N.

NArdenſes impedivere fugam Gerardi Velſenii. 177, 178.
Nicolaus Perſinius Kenemarios, & ſeditioſorum alios, Trajecto pellit. 146.
Nordovicenſe prœlium adverſum Nortmannos. 5.
Nortmanni qua irruperint occaſione. 2. Hollandiam invadunt. 5, 6, 7, 8. & ſeqq.
Noviomagum captum. 6. A Wilhelmo Rege Othoni Geldrorum Comiti divenditum. 125.

O.

OCtavianus Cardinalis auro ſpoliatus. 123.
Odo Rex Galliarum, 10. Nortmannos ad Auxonam fundit. 11.
Othelhildis, Theoderici tertii Comitis uxor, Saxoniæ Ducis aut Luſignani Comitis filia. 36.
Othelhildam, Ludolphi Saxoniæ Ducis filiam, matrimonio jungit ſibi Theodericus ejus nominis quintus. 59.
Otho Imperator Blandinienſi cœnobio cuncta quæ ab aliis donata erant confirmat, 22. ut & ea quæ parens ipſius Trajectinæ Eccleſiæ conceſſerat. 24. Moritur. *ibid.*
Otho ſecundus, patri ſuccedens, cedit jure ſuo, quod hactenus in Hollandos ſibi competere Imperatores putaverant. 24.
Otho, quartus ejus nominis Imperator, Gallum armis petens, egregie ad Bovinas vincitur. 107, 108.
Othonis, Trajectenſis Epiſcopi, cum Geldro ob Zelandiam bellum. 113, 114. Ejus in Rodolphum Covordianum arma, & infelix exitus. 114, 115.
Otho, Benthemienſium Comes, captus ab Heriberto Antiſtite, opera affinis Theoderici Comitis liberatur. 69, 70. ſed mox à Staliciæ Comite trucidatus eſt. *ibid.*
Otho, Theoderici ſexti ejus nominis Hollandiæ Comitis filius, Comitatui Benthemienſium admovetur. 70. Captus à ſocero, ac rurſum dimiſſus, 80. cum matre Hieroſolymas petit. 81. Dein cognatum Wilhelmum, cum fratre Theoderico Comite, in gratiam reducere conatur. 87. & accuſato Florentio Covordianorum præfecto, ipſe præfecturam accipit. 90.
Otho Geldriæ Comes, 82. ob Velaviam bellum cum Trajectinis gerit. 83, 84. Quo finito, ſacram militiam in Saracenos aſſumpſit. *ibid.* Arma etiam Theoderico Comiti, in gratiam Arnoldi Iſenburgici, ſed infeliciter intulit. 91, 92. Dein pacatus, non alium in adverſis amicum ſinceriorem expertus eſt. 94.
Otho, Florentii ejus vocabuli quarti Comitis frater, ante Friſiæ præfectus, Epiſcopatui Trajectinorum, 117. & pueritiæ cognati ut tutor admotus, Hollandorum opera, rebellantes Drenthanos debellavit. 119. Exſtinguitur. 126.
Otho Geldriæ Comes, tutor Florentii ejus nominis quinti, 143. impar ſedandis Kenemariis. 146.

P.

PEtronellam, Theoderici Saxoniæ Ducis filiam, uxorem ducit Florentius Craſſus. 61. Quæ marito extincto, tutelæ admota filii, geſſerit, vide in Theoderico ſexto. Illo vero jam rerum potito Rhenoburgi cœnobium excitavit. 69.
Philippus, Flandriæ Comes, bello Hollandis indicto, rem ſtrenue gerit: 72, 73. & aperto Marte congreſſus cum Florentio, ipſum vivum cœpit, 76, 77. nec ante dimiſit, quam pacem ex nutu ſuo juraſſet. 77, 88. Inde Hieroſolymam profectus, exſtinguitur, nullis liberis relictis. 85.
Philippi, Namurcenſium Comitis, & tutoris liberorum Balduini, machinamenta pro Ludovico Loſſenſium Comite. 105.
Philippus, Gallorum Rex, ſollicitante Richilde, arma in Robertum Friſium parum proſpere ſumit. 52, 53, 54. Eum tamen ex hoſte mox amicum reddidit. *ibid.*
Philippi Auguſti, Gallorum Regis, arma, quæ adverſum Anglos pararat, in Flandros vertuntur. 105, 106, 107, 108.
Philippus Waſſenarius ſollicitat Wilhelmum, ut Adæ imperium adimat. 97. Et illo occaſionem arripiente, conſilio & ſubſidio juvat. 98, 99. & ſeqq.
Prodigia. 34.

R.

RAdbodus, Teiſterbandiæ Comes, & Friſiorum Dux, 6. à Rhollone Nortmanno bis prœlio victus. 12, 13.
Raginerius à Rhollone Nortmanno victus. 14.
Rembertus, Antiſtes Bremenſium, Hollandos ad prœlium hortatur. 5.
Rhenoburgum, quondam inter munitas Hollandiæ civitates, 38, 39. à Cæſare Henrico occupatum, rurſumque receptum. *ibid.*
Rhenus, ſupra ſolitum tumeſcens, Hollandiam inundat. 80.
Rhollo Nortmannus Walachriam occupat. 12. Radbodum & Raginerium, illum Friſiorum, hunc Hannoniæ Ducem debellat. 12, 13, 14.
Richildis, Hannoniæ Comes, Balduini Montenſis Flandrorum Comitis uxor, tutelam liberorum dum gerere cupit, imperio ſe filioſque privat. 51. Et mox ope Gallorum ſua recipere cogitans, 52. bis victa, maritum & filium amiſit. 53, 54.
Rinegomi jus recipiendorum exulum toparchæ Egmundani habuerunt. 156.
Robertus, Atrebatenſium Comes, conatur Florentium Comitem in partes trahere Gallorum. 165.
Robertus, Balduini Flandrorum Comitis filius, Walachriam occupat. 42. At poſtquam inde expulſus, *ibid.* ad tempus quievit, donec extincto Florentio ſpes nova. 47. Et quamvis tum maximis copiis Hollandiam irrum-

irrumperet, bis prœlio victus, nihil vi ultra egit. 48. Sed eo tamen pervicacia ſua hoſtes adegit, ut deſponſata ipſi Gertrudi, defuncti Comitis uxore, matrimonio finem bello imponerent. 48, 49, 50. Simul tutelam Theoderici Comitis & Friſii cognomen adeptus. 50. Interea extincto apud Flandros Balduino fratre, tutor cognatorum declaratur. 51. Quod Richildis defuncti Balduini uxor impedire cupiens, ab adventante cum Hollandorum exercitu Roberto, victa & imperio exuta. *Ibid.* Arma tamen reſumſit, ſed ſecundo quoque ſuperata, captaque eſt. 53. Interim Godefridus Lotharingus cum Wilhelmo Trajectinorum Antiſtite, Hollandiam invadens, revertentem ad ſua defendunda Robertum ingenti prœlio debellat, totaque Hollandia cum conjuge & liberis ejicit. 52, 53. Qui in Flandriam confugiens, eam, altero cognatorum occiſo, altero devicto, ſibi ſubjecit. 54. Cæterum iratus Godefrido quod aliis bellis occupato, arma intuliſſet, eum per inſidias tollit, 55. & privigno ſuo, ad recuperandam Hollandiam, ſuppetias miſit. 56.

Robertus, qui poſtea Hieroſolymitanus dictus, è Roberto & Gertrudi in Hollandia natus. 52. ubi Flandrorum imperio potitus fuit, Cæſaris Henrici adverſum ſe arma ſenſit. 53.

Rotundorum facinus in Hannonia. 130.

Rudolphi Covordiani in Antiſtitem Trajectinum rebellio, & crudelitas. 114, 115. ſed mox condignas ſcelere ſuo pœnas dedit. 116.

Rudolphus Menſo, & Herbertus, invito Epiſcopo Trajectino, præfecturam Groninganam invadunt, unde bellum grave exortum. 73.

S.

SAracenorum clades in Hiſpania, 110, 111. & eorundem ad Damiatam virtus. 111, 112, 113.

Schaga vaſtata, 77. incenſa. 78.

Sculenburgum obſeſſum, liberatumque. 63.

Sifridus Sicco, Arnulphi Comitis filius, Kenemariorum præfectus, 27. ob nobilem occiſum, parentis iram fugit, & Tettam uxorem ducit, unde Bredenrodios & Teilingios veniſſe volunt. *Ibid.* Cum fratre Theoderico profectus fuit adverſum Godefridum Ducem, ejuſque fœderatos. 32.

Sigefridus, Nortmannorum Dux, vaſtata Gallia, Hollandos petens, ab iis victus & occiſus. 10.

Simon Harlemenſis proditor. 101.

Sophia, Othonis Palatini, Benthemienſium Comitis filia, Theoderici ſexti ejus nominis Comitis uxor, 69. varias peregrinationes pro mariti ſalute obit: 71, 72, 81. tandemque Hieroſolymis moritur. *ibid.*

Stadingani, peſſimorum criminum falſo inſimulati, poſt res ſtrenue geſtas, victi delentur. 117, 118.

Sylva-Ducis capta, & ſpoliata. 94.

T.

TAbulas, quæ vulgo Adelboldi nomine circumferuntur, merito eſſe ſuſpectas. 35.

Teiſterbandia quam late patuerit. 4.

Tempeſtas fœda. 80.

Texalia quando in minoris inſulæ formam redacta. 79, 80.

Theodericus, Gerolfi filius, & alterius Gerolfi parens, Dux & Comes Friſiorum. 3. Idem cubicularius ac tutor Balbi, & Aurelianenſium, ut volunt, Dux. 4. Ejus fatum. 6.

Theodericus Egmundanus, Gerolfi junioris filius, primus Comes Hollandiæ, à Patribus ſalutatus poſtquam fuit, 15. in honorem S. Adalberti ædem exſtruxit. 16. Adverſum Hungaros profectus, 17. Ludis equeſtribus ab Henrico Aucupe inſtitutis interfuit, ut & illis à Conrado Orientalium Francorum Duce celebratis. *Ibid.* Vxorem Genam, filium Theodericum habuit: *ibid.* cui conceſſo imperio ipſe peregrinatum abiit. 18.

Theodericus, Theoderici primi Comitis filius, Hildegardim Wichmanni Comitis filiam uxorem ducit. 17. Vbi ipſe Comes ſalutatus Hollandiæ, 18, 19. Friſios rebellantes vincit, maximaque afficit ignominia. 19. Beneficio Lotharii Francorum Regis Walachria auctus. 20. Egbertum filium Treviros mittit, ubi tandem is fit Archiepiſcopus. *ibid.* Mox & Arnulphus, filiorum ejus natu maximus, eo profectus, vitam ſimilem amplecti conatur, unde dolor Comitis. 21. Egmunda è lapidibus excitata. 21, 22. Keihamum monaſterio Blandinienſi concedit, 22. & S. Hieronis oſſa Nordovico Egmundam transfert, *ibid.* tandemque filio ſuo Arnulpho perſuaſit, ut ad matrimonium, & Rempublicam animum appelleret. 23. Nec multo poſt fato ſuo ipſe conceſſit. 25.

Theodericus tertius, Arnulpho patri in Comitatu ſuccedens, Friſiorum animis pertentatis, 27, 28. ubi jugum induere abnuerunt, nihil auſus, ultionem in aliud tempus differt. *ibid.* Sed mox alia armorum ipſi cauſſa, contendente Epiſcopo Trajectinorum, Merwedam ſuam eſſe. *ibid.* Nec tamen ad prœlium deventum, priuſquam Adelboldus Friſius, privatim Hollandis infenſus, rerum apud Trajectinos potiretur. 29. Qui, fugatis Nortmannis, omnem iram in ipſum effundens, Theodericum Bavonem invadere Hollandiam jubet. 30. Sed eo facili negotio à Comite pulſo, ipſe Hollandiam irrumpit: *ibid.* conſertoque prœlio in fugam datur. 31. Fractus tanta clade, opem Cæſaris Henrici, tum Noviomagi agentis, implorat, qui cedere Theodericum Merweda, aut arma ſua exſpectare jubet. *ibid.* Quod nihil moratus Comes, militem & ipſe cogit, & Cæſarianos, ſub Godefrido Lotharingo militantes, ingenti prœlio vincit, ipſumque Godefridum captum, non ante dimittit, quam pax cum Adelboldo ſancita foret. 31, 32, 33, 34. Hinc exercitum in Friſios rapit, jam à parentis obitu rebelles, haud pari fortuna: mox tamen repetita expeditione vincit. 35. Exin Hieroſolymam profectus, indeque reverſus, fato ſuo fungitur. 36.

Theodericus, tertii Theoderici filius, extincto parente, imperium obtinuit. 36. In hunc Bernulphus, Trajectinorum Antiſtes, Henricum Cæſarem ſuſcitavit, qui Hollandiam irrumpens, Merwedam occupat. 37. Cæterum Cæſare ad ſuos reverſo, facile amiſſa Comes recuperavit. Mox aſſumto Godefrido, Lotharingiæ Duce, Noviomagum occupat, Germaniamque

depopu-

Digitized by Google

depopulatur. 38. Reſumit & hoſtilia Cæſar, & Rhenoburgum, ac Vlardingam in ſuam ubi redegiſſet poteſtatem, redire ad ſuos coactus, inſequente navibus Comite, qui magna fugientes clade affecit. 38, 39. Ortum inde ipſi majus inſtinctu Cæſaris bellum, conſpirantibus in exitium Hollandiæ Principibus Germaniæ, 39, 40. qui Dordrechto proditione potiuntur. Non terruit hoc Comitem, qui noctu opera Putteni admiſſus, hoſtes pellit. Sed dum poſtera die ſtragem à ſe editam contemplatur, à Germano ſagitta eum in finem infecta trucidatur. 41.

Theodericus, Florentii & Gertrudis filius, 41. imperio impuber adhuc potitus, ſub tutela matris egit, 47. donec illa Roberto, Flandrorum Comitis filio, locata foret. 49, 50. Cæterum illo à Godefrido Gibboſo victo ac fugato, ipſe Comitatu ſpoliatur. 52. At Godefrido Antwerpiæ trucidato, 55. opera exulum Hollandorum, Conradum prœlio ſuperat, Hollandiamque ipſi extorquet. 56, 57. Motis dein adverſum Friſios armis, jugum imponit, 58. & expugnata Stavera, Lavica tenus dominatur. 58, 59. Hinc pacata ipſi omnia ad vitæ uſque terminum, & relicto ex uxore Othelhilde, Saxoniæ Ducis filia, ſucceſſore Florentio, obiit.

Theodericus ſextus, Florentii & Petronellæ filius, exordio Comitatus, quia juvenis admodum, ſub tutela matris egit. 62. Quæ armis in gratiam fratris Lotharii arreptis, Sculeburgi obſidium ſolvere Cæſarem adegit. 63. Dein vocata à Flandris, ubi imperiũ vacabat, aſſumto filio Theoderico, pene id effecerat, ut rejectis cæteris, Comes Flandrorum filius proclamaretur. 64, 65. Poſtquam id irritum fuit, domum reverſa, filio imperium tradidit, qui ſtatim arma in Hermannum Cuicenſium Comitem paravit, eumque ſupplicem in gratiam recepit. 65. Mox bello Friſiis, qui defecerant, indicto, ac iis ad Alcmariam cæſis, 65, 66. victor remeans, inſidiis à fratre Florentio petitus, ei ſpeculatores addit. Is metuens ſibi ad Friſios confugit, 66. eorumque agmine conflato, Hollandiam irrupit, & Alcmaria incenſa, vicina populatus. 67. Sed Lothario Cæſare iram ſuam denuntiãte, ni cœptis deſiſteret, cum fratre in gratiam rediit. 68. Arma exin in Cuicenſem, & Andream Antiſtitem vertit, Florentii fratris necem vindicaturus, qui inſidiis eorum ceciderat: horum utrumque opibus ſpoliatum in exilium egit, 69. moxque revocatos, in imperio reſtituit. *ibid.* Sed Heribertus Andreæ ſucceſſor, ob Othonem Benthemienſem, affinem Comitis, in vincula conjectum, arma Comitis ſenſit, *ibid.* Sed ille, quamvis inermis, pacem tamen Comitem petere adegit. 70. Hieroſolyma, Comes ubi profectus fuerat, reverſus, Hermannum Hornanum, defuncto Heriberto, Trajectinis, vi armata, Antiſtitem imponit. 71. Victis exin prœlio Friſiis, ipſe morbo extinguitur. 71, 72.

Theodericus, Florentii & Adæ filius, Adelheidim Clivicam conjugem, 83. & poſt obitum patris, imperium adeptus eſt. 85. Prima ipſi arma in Wilhelmum fratrem fuere, qui è Syria redux, qua de cauſa incertum, Friſios ad rebellionem concitarat: *ibid.* eorumque opera, fruſtra in gratiam reducere conante Balduino Antiſtite, bellum fratri moliebatur, *ibid.* Qua occaſione arrepta, Comes Flandriæ Walachriam invadit, 86. Vnde anxius Theodericus, dividit copias, alteram partem ſecum in Flandros trahens, alteram uxori adverſum Friſios committens. *ibid.* Et illa quidem dolo, ipſe aperto marte, hoſtem ſuperavit 86, 87. Sed quamvis fractus ea clade Wilhelmus, hoſtilia tamen omittere noluit, niſi Friſia Orientalis in feudum ipſi concederetur. 87, 88. Quam & à fratre impetravit. 89. Inde novum Theoderico bellum exarſit, fato Balduini Antiſtitis, dum ipſe patruum Theodericum, Geldrus Arnoldum Iſenburgicum imponere Trajectinis conatur. 91. Primus arma Geldrus cepit, quibus reprimendis, obviam Comes hoſti vadit, cæſumque caſtris exuit. 91, 92. Cæterum & Arnoldo, & Theoderico extinctis, brevi & ipſi convenere. 92, 93. Mota dein rurſum Friſiorum arma, quos prœlio victos, brevi pacavit. 93. Hinc nova belli, ob læſum fratrem, adverſum Trajectinos cauſſa. 93, 94. Quare collecto milite, urbem corona cingit, & ſpei propinquus erat, cum interceptus à Brabantino ſociis Geldriæ Comes, eo arma vertere adegit neceſſitas. 94. Expugnata tum quidem Sylvaducis, cæterum ipſe confertis cum Brabantino manibus captus, *ibid.* nec ante dimiſſus, quam ingentem æris vim ſolviſſet. 95. Idque ultimum operum ipſius fuit: nam paullo poſt morbo correptus, Dordrechti extinguitur. *ibid.*

Theodericus Aræus, Trajectinorum Antiſtes, Friſiam petendo tributo intrans, à Wilhelmo capitur. Cujus è manibus elapſus, 93. bellum à Theoderico paſſus. 93, 94. Capto à Brabantino Comite, Hollandiam irrumpit. 94. Poſtquam cæſus, ubi Wilhelmus rerum potitus fuit, acrius exarſit, & Ludovico Loſſenſium Comiti opem ferens, non ante pacatus fuit, quam ex ipſius commodo pax ſanciretur. 98, 99, 100. & *ſeqq.*

Theodericus Archidiaconus, Balduini Antiſtitis frater, Wilhelmum affinem cum fratre Theoderico in gratiam reduxit. 87, 88, 89. Mox ipſe, Epiſcopatui propinquus, extinguitur. 91, 92.

Theodericus Bavo, Zuamerdami & Bodengraviæ Comes, Hollandiam invadit. Sed prœlio victus, utroque Comitatu ſpoliatur. 30, 31, 32, 33, 34.

Theodericus Bredenrodius, rebellionis crimine notatus, 159. rurſum in gratiam receptus, 163. & Friſiorum cohortibus præpoſitus, Cadſandiam populatur. 166. Miſſus etiam in Angliam arceſſendo Comite Ioanne. 187.

Theoderico, Cliviæ Comiti, datur uxor Margarita Florentii Comitis filia. 82.

Theodericus Cliviæ Comes, ſumma cum laude Claræmontenſium Comitem obtruncat. 119. Adjutus ab Hollandis, ſtrenue rem gerit adverſum Colonienſes. 120.

Theoderici, Cliviæ Comitis, ſtudium, pro educendis Hollandia conjuratis. 181. Sed ira militum, exitio propinquus cœptis deſiſtere coactus, 181, 182. publici curam in ſe trahit. Verum adventu Hannonii, magna cum ignominia Hollandiam relinquit. 183, 184.

Theoduini, Leodicenſium Antiſtitis, in Hollandos arma. 43, 44, 45. 46.

Thietboldus, Friſiorum Comes, victus & occiſus à Nortmannis, 2, 3.

Digitized by Google

Trajectum manifeſtum exitii ob exundationem Rheni & Moſæ. 81. Occupatum à Kenemariis. 145, 146.

Trajectini, & cum his Colonienſes, Leodicenſes, & Trevirenſes, jus ſibi in Merwedam vindicabant. 28. Sed victi, ſimul Bodengrava, & Zuamerdamo excidentur. 34. adeoque omni in Hollandos jure coacti renuntiare. *ibid.* Cætera quæ Trajectinos ſpectant, in ſingulorum Epiſcoporum, aut Comitum Hollandiæ vocabulis reperies.

V.

VErona everſa. 191.

Vlardinga quondam nobilis civitas Hollandiæ. 37.

Vredelandia obſeſſa, captaque. 153, 154.

Walachria à Rhollone vaſtata, & occupata. 12. à Lothario Francorum Rege dono data Theoderico, ejus nominis ſecundo Comiti. 20. Sed ejus ſucceſſoribus adimere conatus Henricus Sanctus, ac Flandriæ Comitibus in feudum concedere. 28, 29. Vnde occaſio diutini inter Hollandos Flandroſque belli. *ibid.* A Roberto Flandro occupata, rurſumque à Florentio primo recepta. 42. Interim à Roberto, poſt tutelam geſtam, retenta, 61. repetitur à Comite Florentio, 72. tandemque is poſt varios caſus obtinuit. 81.

Walgerus, Teiſterbandiæ Comes, Walgeri parens, 4. Confunditur plerumque cum Walgero Friſio, Theoderici primi Comitis fratre. *ibid.* Exſtinguitur. 6.

Walgerus Friſius, ob Eberardum Comitem dolo trucidatum, 14. fratrem à Patribus in imperio prælatum vidit. 15.

Walterus Egmundanus, *vide* Gualterus Egmundanus.

Walteri Egmundani virtus. 185, 186.

Waſdam, falſo Waſiam credi. 20.

Waſia vaſtata à Flandris, 72. & occupata, ſecundum Meierum. 78. Leges ſuas à Flandris accipit. 120.

Waterlandorum pro Principe virtus. 176.

Wazo, Leodicenſium Antiſtes, Dordrechto proditione potitur, unde brevi à Comite ejectus. 39, 40.

Wichardi, Geldriæ tutoris, adverſum Hollandos arma. 43, 44.

Wichmannus, Comes Aloſtanus, & Gandavenſis, alius plane à Wichmanno Saxone. 17, 18. Moritur, relicta hærede filia. 20.

Wilhelmus Iprenſis imperium in Flandros affectat. 64, 65.

Wilhelmus Osbernus, Richildis maritus, in prœlio cadit. 54.

Wilhelmus Roberti, Nortmannorum Ducis, filius, Comes Flandriæ. 65.

Wilhelmus, Trajectinorum Antiſtes, à Cæſare Henrico Merwedam ſibi reſtitui poſtulat. 50. Poſtquam impetraſſet, arma Hollandis inferre diſtulit, donec Flandrico bello tutor Robertus diſtineretur. 51. Quando adjutus à Lotharingorum Duce Godefrido, ſuperato Roberto, Hollandia potitus, 52. eam ad mortem uſque tenuit. 56.

Wilhelmus, Florentii tertii, & Adæ filius, primæ virtutis ſuæ documenta in Syria dedit. 84. Vnde reverſus, fratri rebellis, non ante quievit, quam Friſia Orientalis ipſi adſignaretur. 85, 86, 87, 88, 89. Pulſo Cranio, qui agros ipſius vaſtabat, rurſum offendit Comitem. 89, 90. Quare bello Geldrico durante, cum ſalutatum fratrem iviſſet, captus. 92. Sed eluſis cuſtodibus, rurſum elapſus, Geldriæ Comitis filiam Adelheidim matrimonio jungit. *ibid.* Inde exſtincto fratre tutor cognatæ deſignatus, 95, 96. illam marito ſimul & imperio privat. 96, 97, 98, 99, 100, 101, 102, 103, 104, 105. Mox in Angliam profectus, opem laturus Regi adverſum Gallos, turbante Ferdinando Flandro, eo, ſollicitante Anglo, contendit, ſubſidio futurus adverſum Gallum. 105, 106. Quo bello varia ibi fortuna geſto, & tandem pace finito, domum reverſus, 106, 107, 108. rurſum in Angliam, ſed non pari animo contendit: cum ante Regi, nunc Galli filio Ludovico addictior, ſimul cum eo Britannos oppugnatum iret. 109. Sed & hoc bello finito, adverſum Saracenos militatum ivit, eorumque exercitu in tranſitu apud Hiſpanos deleto, 110, 111. in Syriam contendit, ubi ipſius potiſſimum opera Damiata civitas expugnata fuit. 112, 113. Idque ultimum ipſius operum fuit. Nam domum reverſus fato ſuo haud multo poſt fungitur. 113.

Wilhelmus, ejus vocabuli ſecundus, Florentio & Machtilde genitus, 116. trucidato parente, adhuc puer in imperio, ſub tutela patruorum, ſucceſſit. 119. Et quia parentem vindicarat Theodericus Cliviæ Comes, ei mox opem adverſum Colonienſes tulit. 120. Vbi vero ad vigeſimum ætatis annum perveniſſet, exſtincto Henrico Haſſiæ Lantgravio, ſucceſſor in Imperio Germanico à Pontifice deſignatus, 122, 123. Conrado Frederici filio cedere coacto, Aquiſgranum obſidet & occupat. 124. Vnde peracta coronatione, domum reverſus, Hagæ curiam ædificat Rege dignam, conſeſſumque ibi Patrum ſtatuit. 125. Subſidia tum quoque Avennioni affini in Margaritam matrem miſit, quia Flandrico imperio poſt mortem ſpoliare conaretur. 126. Vbi pace facta, ipſe cum exercitu Cæſarowartam petit, tandemque expugnat. 127. Vt vero audivit, ob Goſwinum Epiſcopatu amotum, arma ab Amſtelio in ſucceſſorem ejus ſumta, propere iis reprimundis contendit. Sed ab Archiepiſcopo Colonienſi impeditus ſuperſedit. 128, 129. Extincto Frederico, Lugdunum profectus, in imperio à Pontifice confirmatur. Vnde reverſus, Eliſabetha Brunſwicenſium Ducis filia, matrimonio ſibi juncta, in conventu procerum Wormatiæ, Margaritam excidiſſe Namurco & Aloſta pronuntiat. Quod illam adeo offendit, ut illico arma pararet, 129, 130. ac Guidonem & Ioannem filios, in Walachriam cum multo maximo exercitu trajicere juberet. 131. Sed illi capti, exercitus ad internecionem uſque deletus. 131, 132. Qua clade nuntiata, Comes Margarita per legatos de redemtione egit. Et poſtquam conveniri non potuit, bellum inſtaurat. 132, 133. Interim Rex Wilhelmus Nuſſiam profectus, incenſa noctu domo, magnum adivit periculum. 133. Quo defunctus, legatos Margaritæ audit, pacem petentes. At illa rejectis conditionibus, perſuadet Ludovico Gallorum Regi, ut fratri Carolo poteſtatem faceret adverſum Hollandos eundi. 134. Qui impetrata à fratre venia, Hannoniam occupat, & lingua in

Digitized by Google